Liturg. 1465

Digitized by Google

Digitized by Google

Matthæi Dresseri

DE FESTIS DIEBVS CHRISTIANORVM, IVDÆORVM, ET ETHNICORVM:

LIBER,

Quo origo, causa, ritus & usus eorum exponitur.

1597.

Impensis Iacobi Apelij, Bibliopolæ Lipsensis.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

AD

SERENISSIMVM

REGEM DANORVM

CHRISTIANVM IIII.

Proœmium

MATTHÆI DRESSERI.

ORNAMENTA Danici Regni, Sereniſsime Rex, tot támque præclara ſunt, vt ea neque oratione complecti, neque enarrare, multò minùs exornare queam. Regnum in primis terra mariq́ue, tum ſitu etiam ac deſcriptione vrbium, arcium, inſularum nobile, ac rebus omnibus, ad humanum vſum cultúmque vitæ neceſſarijs, maximè inſigne

est. Ex quo sanè flos & firmamentum arctoi orbis non immeritò habetur. Etsi autem hæc ornamenta eximia Dei dona sunt, & voce literisque prædicanda: tamen præstabilior maioriq; laude efferenda est diuini verbi ac doctrinæ literarum copia, quæ vniuersum regnũ tanquam ros quidam cœlestis suauiter rigat atque perfundit.

Ac verbum quidem diuinum maturè in his regionibus ita resonuit, vt in arctoum vsque orbem relatum sit. Saxones enim Caroli Magni opera atque industria ad professionem Euangelij traducti sunt. Dani verò, imperante Ludouico Pio, circa annum

Christi

Christi octingentesimum vicesimum sextum, satus cœlestis doctrinæ acceperunt: cùm Rex eorum Haraldus cum fratre Erico Moguntiæ baptisatus est, & S. Ansgarium, & Autbertũ religionis Christianæ præcones ac propagatores in arctoo orbe sedulò diligenterq; adiuuit. Quanquam autem, vt fit in rebus, quæ maiores grauioresque sunt, difficultates & impedimenta plurima cursum veræ religionis retardarunt: tamen anno Christi nongentesimo sexagesimo sexto per totum regnum vox verbi diuini diffusa est.

Narrat Sigebertus hoc anno virum religiosum Popponem miraculo ingenti Danos

ad agnitionē cultumq; Christi conuertisse. Cùm enim de diuina Christi natura, quæ omnem intelligentiæ humanæ vim ac notionem superat, potissimùm ambigeretur: is confirmationis caussa, ferrum cādens in chirothecæ formam aptatum manu ad cubitum vsque nudata, absque læsione omni gestauit, eoq; spectaculo ita multitudinem incendit, vt se sub potestatem Christi subiunxerit, & baptismum sanctum expetiuerit. Quæ siue vera sit, siue ficta à monachis narratio, certè quàm operosa, difficilis & ardua fuerit propagatio Christianæ doctrinæ apud homines idolorum cultui penitùs deditos, declarat.

Ab eo autem tempore Dania ſedes veræ Eccleſiæ Chriſti fuit, cum eáque voce blanda locutus eſt Deus, & bona ampliſsima ei impertiuit. Id quod in vaticinio Noami diſertè prædictum eſt his verbis: Blandè loquetur DEVS cum Iapheto, & habitabit in tabernaculis Semi. Licet enim alligârit DEVS promiſsionem de Meſsia ad Semi poſteritatem: tamen ad Iaphetum etiam hoc beneficium translatum eſt, vel certè cum eo communicatum, vt benedictionis Semo tributæ, hoc eſt, veræ Eccleſiæ ſocius, & vitæ ſalutiſque æternæ particeps eſſet. Hæc benedictio, quamuis

serò, prolixè tamen ac liberaliter tandem in his arctois locis completa est. Quid enim aliud est blandiloquentia Dei cum Iapheto, quàm vox Euangelij dulcissima, quæ longè latéque in has regiones infusa est?

Quod considerare nos atque tenere studiosiùs decet, propter consolationis vim atque efficacitatem, quæ inde efflorescit, cùm verè nos Ecclesiæ Christi membra, cœlestiumq; bonorum hæredes esse statuimus. Quod ne dubitare possimus, maximo est argumento, quòd eandem doctrinam de Deo, & Filio eius Iesu Christo, ac Spiritu sancto profitemur, quam anti-

ties

ſtes antiquiſsimus veræ religionis poſt diluuium et inſtaurationem gentis humanæ in medium protulit.

Errat enim, errat tota re, ne quid dicam durius, Gilbertus Genebrardus Pariſienſis Theologus, qui pro odio, quod habet in Germanos, fingit, eos eſſe reliquias Chananæorum, quos Ioſua ex terra ſancta depulerit, cùm iuſſu diuino eam occupauit, & Iſraëlitis diſtribuit. Has enim reliquias, ait, in Germaniam, Sclauoniam, & vicinas regiones diſperſas eſſe. Et quia Chananæorum genti maledixerat Deus: factum eſſe opinatur, vt tanta immanitate efferati ſint Germani, vt eorum regio

ferarum potius, quàm hominum domicilium visa sit. Tacito, sine vrbibus, sine oppidis, sine castris, & ædificijs cohærentibus.

Plura non libet commemorare, quæ Scriptor ille de Germania partim fingit apertè, partim effutit temerè: oblitus scilicet necessitudinis & propinquitatis Germanicæ & Gallicæ gentis, quam Franciscus, primus Gallorum Rex, tantoperè prædicauit: vel originis & veteris coniunctionis vtriusque gentis, quam pleno ore laudauit Henricus, secundus Gallorum Rex, in scripto ad Germanos, anno 1552. diuulgato. Illud tantùm breuiter perstringam, si Chananæi

sunt

ſunt Germani, ſecundum huius Scriptoris commentum: quid aliud quàm Chananæi ſunt Galli, eiuſdem originis populi? Sic in ſuam ipſius gentem Scriptor incautus inuehitur, & dicax eſt. Quod verò de Chananæis à Ioſua diſiectis, & in Germaniam effuſis comminiſcitur, id ἀνιστορησίαν, vt Cicero vocat, hoc eſt, imperitiam hiſtoriæ & ſcripturæ turpem conuincit. Quis enim author vel Eccleſiaſticus vel politicus hoc prodidit, Chananæos in has Septentrionis ſedes ingreſſos eſſe? Niſi fortè Iudæus aliquis cæcus, qui acerbitatis ſuæ virus apud Iapheti poſteros euomere voluit. Chananæos equidem

Ioſua

Ioſua partim deleuit, partim contra mandatum Dei paſsim in vrbibus reliquit: à quibus Iudæi poſtea, vti prædictum erat à Deo, miſerè afflicti, & omnibus contumelijs atque iniurijs affecti ſunt. Dauid verò eoſdem ex tota Iudæa profligauit. Quod reliquum erat, id Salomon tributarium fecit. In finibus tamen Palæſtinæ paſſus eſt Deus aliquos remanere Chananæos ad tentãdum Iudæos, quemadmodum Iudicum tertio capite ſcribitur.

Nulla hîc planè fit mentio vllius Chananæorum in Germaniã migrationis aut tranſitus. Sanè ſcriptores fermè omnes Semo & poſteris eius orientem, Chamo meridiem,

Iapheto occidentem & septentrionem assignarunt. Solus Genebrardus tanta inuidia Germanicæ nationis æstuat, vt ex maledicto Chamo eam ortam esse, impudentissimè scribat. Interim Cimbros, qui Hodie Holsati, Slesuuicenses, & Dani appellantur, fatetur à Gomero Iapheti Filio prognatos esse. Quod si Saxones, Holsati, & Dani de Iapheti posteris sunt: qua fronte negari potest, Germanos quoque ab eodem satore editos esse? Quòd autem à Tuiscone vel Ascane proseminati sint Germani, idem Tacitus memorat, filiumque Tuisconis Mannum populo Germaniæ ortum dedisse scribit. Nec abs

re

re est, quòd Taciti ætate Germania informis fuerit terris, aspera cælo, tristis aspectu cultúque. Nondum enim erat ad hunc externum ciuilemq; cultum deducta: Sed tamen non hebes, neque inexercitata in bellis, neq; communium officiorum & humanitatis expers.

Quid? quòd Dania regni iusti speciem habuit, antequã Romulus dominari cepit? quanquã Regiũ nomen id temporis ignotũ, is, qui regnauit, non vsurpauit. Iam cùm natus sit Romulus An: mundi 3201. ante natũ Christum 770. apertum manifestumq; est, ante Romulũ frequentẽ hominibus fuisse Daniam, & alias regiones arctoas. Nihil enim frustrà fecit Deus. Itaq; nec vllum angulũ

mund.

mundi deſertum aut incultum planè eſſe patitur. Id quod hiſtoria ſuperioris & huius temporis indicat, quo tot inſulæ, tot regiones multis ſeculis incognitæ, tam in arctoa, quàm in alijs mundi plagis apertæ ſunt, & perueſtigatæ.

Quòd porrò Tacitus narrat, Germanos appellatos eſſe Aborigines: id per ignorantiã factũ eſt. Vnde enim ſator gẽtis huius Tuiſcon eſſet, omnes eius poſteri extra Eccleſiã ignorarunt. Iccirco Deum, terra editum, illum eſſe finxerunt: vtpote cuius natales propter vetuſtatẽ ab eorũ memoria remoti erãt. Etſi autẽ non ſubitò, nõ tamẽ ita longè poſt diluuiũ in has terras progreſſus eſt Tuiſcon. Ex quo ſanè, quando

incoli ac frequentari hæc loca ceperint ab hominibus, obscurum esse non potest. Quid igitur est, quòd tam desertam ac neglectam hanc septentrionalem plagam iacuisse, scriptor ille Gallicus existimat? Nimis certè est in Germanos partim obscurè iniquus, partim non dissimulanter iratus, quos ex Iaphitis Chamitas, ex benedictis maledictos, ex socijs veræ Ecclesiæ consortes impiorum Chananæorum facit.

Hæc iniuria, Serenissime Rex, in qua aculei contumeliarum aperti insunt, ab Ecclesia & Repub. nostra Christiana omninò repellenda est: quippe, quæ & benignitatem Dei erga

erga gentes arctoas extenuat, & omni benedictione Dei nos priuat. At contrà summis laudibus in cœlum efferendum est cœlestis doctrinæ beneficium, quo præter cæteras nationes populus septentrionalis afficitur. Quod profectò tam magnum est, vt ne cogitanda quidem, nedum referenda gratia illud assequi possimus.

Non minùs verò admiratione & celebratione dignum est literarum decus, quod cum verbo cœlesti, regno Daniæ concessum atque tributum est. Academiam enim habet inprimis liberalibus studijs & eruditis hominibus affluentem, quam in Regni metropolin

Hafniam rex Christianus primus importauit: Christianus verò tertius eandem incommodis oppressam & attenuatam reparauit: Fridericus porrò secundus honore & opibus amplificauit. Indè in Noruegiam & Islandiam vsque occidentalis Oceani sub circulo arctico insulam cum vera religione etiam literarum aliqua scientia inuecta est.

Hæc celebritas Danici regni quanquam per se magna est, tamen mirificè augetur fama, quæ de Serenitatis tuæ summa ingenij indole, summóque in literas amore atq; studio percrebuit. Ac siquidem cursum hunc animi atq; industriæ ita, ut cepit, maiestas tua

continuo

continuauerit: dubiũ eſſe nullum poteſt, quin Reges ſummos, non ſolùm in arctoo orbe, ſed etiam in oriente & occidente ſuperatura ſit. Ex quo planè mihi perſuadeo, tantò beatiorem fore Daniam, cæteráque huic ſubiecta regna, prouincias, & inſulas, quantò longiùs ad virtutem natura & doctrina Serenitas tua proceſſerit.

In qua quidem opinione & ſpe me confirmat ſapientia & authoritas præſtantiſſimorum virorum, qui teneram ætatem regiæ maieſtatis tuæ conformant, & ad omne officij regalis munus præclarè ſalutaritérque inſtruunt: D. Nicolaus Kaas, Cancellarius

Digitized by Google

Magnus, prorex: D. Arnoldus VVitfeldius, & D. Haggo Holgerus, quorum industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo eximium & admirabile est. Quos quidem tametsi iam antè noui, magis tamen nunc suspicio, postquam Ioannes Georgius Godelmannus Iurisconsultus non in studijs tantùm & literis, sed in rebus etiam & vsu multùm versatus, in senatum Septemuiralẽ aulæ Saxonicæ cooptatus est, & coniunctior mihi consuetudine & officijs esse cœpit. Hic enim non tam Regiæ maiestatis tuæ ad summa omnia indolem, sed horum etiam regni Danici

proce-

procerum atque Consiliariorum magnificorum singularem prudentiam, mirificumq; erga sapientiæ atque eloquentiæ Professores amorem honorificè grauitérque prædicauit.

His igitur vocibus ad gloriam regni Danici directis incēsus, mittere ad regiam tuam maiestatem ausus fui tenue scriptum de Festis: quod si non multum, certè tamen aliquid commodi atque emolumenti ad communia studia allaturum est. Neq; verò aliud quicquam peto, quàm vt Maiestas tua munusculum hoc ex Lipsica vsq; Academia, sibi nec ignota nec iniucunda, oblatū, cum honorifica mentione or-

namentorũ, quibus præ cæteris Regnis abundat Dania, serena fronte accipiat, méque in professione literarum, eloquẽtiæ, & historiarum consenescentem jam, commendatum sibi de meliore nota habeat.

Lipsiæ Calend. Maij,
anno Iesu Christi
1593.

DE FE-

DE FESTIS DIEBVS.

Festi nomen.

FEstum vel dies festus, Græcè ἑορτὴ, à sacrificio nomen habet, propter λογικὴν λατρείαν, id est, rationalem cultum, qui fit in agnitione & fiducia mediatoris, in hunc finem, vt Deus celebretur. Est enim ἑορτὴ absq; dubio ab ἔοργα, quod est sacrificaui, quòd festis diebus legere, audire, meditari verbum Dei, & preces Deo adhibere oporteat: Germanicè Feyertag / haud dubiè à feriando seu vacando, quòd vacare illis diebus conueniat cultibus diuinis, omissis operibus alijs. Sic vtraque vox Latina & Germanica ex Græca ἑορτὴ, versa aspiratione infusa est.

Romani festos dies vocarunt ex Numæ instituto, quibus ludi & sacrificia fiebant, ex Græco ἑστία, Vesta, quæ fuit Dea religio- Vesta.
sè olim culta. Origo autem Hebræa, à voce Esch, qua significatur ignis, & Ia, dominus, quasi dicas, Domini ignem, vel sacrum i-

nem, quem Chaldæi & Persæ colebant, præua quadam sanctorum patrum imitatione, quorum sacrificia ignis cœlo delapsus accendit.

Diuisio. Statæ. Feriæ secundum Romanos vel statæ siue statiuæ fuerunt, quæ quotannis ijsdem diebus mensium celebratæ sunt, gewisse Feiertage: vt Agonalia, Carmentalia, Lupercalia: vel Conceptiuæ, τεταγμέναι, ordinatæ Magistratus vel sacerdotum arbitrio modò hoc, modò illo anni die, vnsiete Feyertage: vt Latinæ feriæ, sementinæ, paganalia, compitalia: Vel Imperatiuæ, hoc est, a Consulibus siue Prætoribus imperatæ vel indictæ, aut propter principis valetudinem, aut propter victoriam, aut propter periculum aliquod Reipu. impendens, gebotene Feyertage: vel Nundinæ, Jarmarck oder Messe/ rusticorum caussa nono quoque die institutæ, vt ex agris in vrbem venirent ad mercatum, & ad audiendum leges, plebiscita, & senatusconsulta, quæ trinundino siue tribus nundinis continuis, hoc est, viginti septem diebus (Singulæ enim Nundinæ

Conceptiuæ. Imperatiuæ. Nundinæ.

dinæ nouem dies durabant) promulgabantur. Erant etiam festa, quibus vota fiebant, vota. *soluebantur, aut reddebantur Deo grates pro victoria, vel pro alia quacunq; re. Horum alia vocabantur quinquennalia, alia decennalia, alia vicennalia, alia tricennalia, alia quadricennalia.*

Decernebantur quoq; in Repub. Romana supplicationes plurium aut paucorum dierum his, qui beneficio insigni Rempub. affecerant, hostes ceciderant, aut fines imperij dilatarant. Erant autem supplicationes nihil aliud quàm gratulationes siue gratiarum actiones, quibus Deo honos pro singulari eius merito habebatur. Pompa adhibebatur simulis processioni Papisticæ. Nam senatus frequens in templa ibat, sacra ibi faciebat, & epulũ prabebat. Festi dies tunc agitabantur ab omni populo, & vel gratiæ agebantur Deo pro victoria, vel vota fiebant, vt bene feliciterq; cuenirent, quæ cepta erant. Supplicationes Gemein Gebet.

Secundum Christianos autem festa a-

Festa fixa. *lia sunt immobilia, alia mobilia. Immobilia siue fixa, quæ & statiuæ feriæ dicuntur, annis singulis in diem certum mensis incidunt: vt natalis Christi, circumcisio, epiphania, conuersio Pauli, purificatio Mariæ,*

Mobilia. *&c. Mobilia sunt, quæ alio atq; alio anno, in alium atq; alium diem mensis incidunt, vt septuagesima, quadragesima, pascha, ascensio Domini cum Pentecoste, aduentus Domini.*

Sabbatum. *Est præterea alius dies sacer & solennis, qui à Iudæis sabbatum, à Christianis dies Dominicus, ab Astrologis dies solis appellatur. Vt autem dies festi sacri sunt, & diuino cultui sanctisq; operibus destinati:*

Profesti. *ita profesti dies operibus seruilibus, hoc est, vitæ negotijs cuiusq; vocationi aut professioni conuenientibus tribuuntur. Ac dies qui-*

Dies feriati integri. *dem feriati alij sunt integri, qui sancti omni ex parte habentur, vt Dominici, & præter eos in hoc Ducatu Saxonico dies natalis Christi, S. Stephani, S. Iohannis, circumcisionis, epiphaniorum, purificationis Mariæ, annunciationis siue conceptionis Christi,*

Digitized by Google

Christi, cœnæ Dominicæ, passionis Christi, paschatis cum sequentibus duobus proximis diebus, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, Iohannis Baptistæ, Visitationis Mariæ, Michaëlis.

Alij Intercisi, quibus conciones habentur, & sacramentum cœnæ etiam administratur matutino tempore: reliqua pars diei negotijs profanis impenditur. Tales sunt plerorumque Apostolorum, Pauli conuersi, Matthiæ, Philippi, Iacobi, Mariæ Magdalenæ, Matthæi, Bartolemæi, Andreæ, Thomæ. Et hæc ipsa tamen Festa non vllius cultus, sed memoriæ tantùm causſa celebrantur. Reliquorum verò sanctorum nomina in Calendario nulla alia de causſa recensentur, quàm vt in animis & memoria posteritatis relinquantur.

Nomina sanctorum in Calendario quare recenseantur.

Carolus Magnus hæc Festa instituit: diem Dominicum, Pascha, cum diebus, quibus memoriæ passionis Christi repetitur, Pentecosten, Petri & Pauli diem, natiuitatem Ioannis Baptistæ, Ascensionem Mariæ, diem S. Remigij, Martini, Andreæ natalem

Festa Caroli M.

talem Christi cum 4 sequentibus diebus, trium regum, purificationem Mariæ. Martyrum verò memoriam ijs tantùm locis coli voluit, quibus corpora eorũ recondita sunt.

Caussæ dierum festorum.

Efficiens caussa festorum est Deus, qui sua voce & autoritate quædam festa instituit: vt Paschatis, Pentecostes, Tabernaculorum, de quibus Exodi 23 præceptum est: Ter mihi quotannis celebrabis festum. Siracides cap. 33. Vnde est discrimen dierum, cùm sol omnes anni dies efficiat? sapientia Domini distinxit eos, & ordinauit tempora & festa, & aliquos dies præ cæteris elegit & sanctificauit.

Altera caussa est Ecclesia, quæ pio consilio, vtilíq; instituto aliqua festa ordinauit, eaq; sic distribuit, vt alio anni tempore alia pars beneficiorum Dei considerari & celebrari possit. Etsi enim Paulus Coloss. 2. vetat, ne obstringi nos patiamur vicibus festorum, nouilunijs, aut sabbatis: tamen non improbat hæc Ecclesiæ Christianæ ordinata festa, sed humanas tantùm traditiones siue ordinationes damnat, quæ Euangelio contrariæ sunt. Fi-

Finis primarius est, vt obedientia & cultus Deo debitus præstetur. Finis festorum dierum.

II. Cognitio doctrinæ de Deo, & beneficijs Ecclesiæ exhibitis.

III. Inuocatio Dei, confessio & gratiarum actio.

IIII. Inuitatio ad imitationem fidei, confessionis, patientiæ, & constantiæ sanctorum in cruce, persecutione, tentationibus, morbis, & calamitatibus cæteris.

V. Conseruatio publicorum congressuum, quibus adeò delectatur Deus, vt Christus affirmet, se in medio eorum esse. Et Tertulliani vox digna est memoria, quæ extat lib. 2. aduersus gentes, cap. 39. Coimus in cœtum & congregationem, vt Deum quasi manu facta precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata est.

CIRCVMCISIO CHRISTI.

I. Nomen. Primùm vocatur hic dies Calendæ Ianuarij. Habent autem Calendæ nomen ἀπὸ τοῦ καλεῖν, *id est, à vocando, eò quòd hoc die populus Romanus in concionem aduocatus est, & per Episcopum seu præ-* Calendæ.

præsidem sacrorum indicatum, quæ feriæ toto mense essent futuræ, quidq; in religione agendum. Hinc Calendarium ἐφημερικῶς *vocatur tota notatio anni dierum, secundum Solis & Lunæ motum. Hebræus vocatur Almanach, quod est numeratio. Cùm etiam fœnora Calendis exigerentur olim, factum est, vt rationum libri Calendaria nominarentur. Ianuarius verò ex Iano nominatus est, vnde & germanica vox* Jenner/ *facta est.*

Calendarium.

Jenner.

Mensis porrò à Græco μὴν, *Germanicè* Mond/ *haud dubiè ex Hebræa voce Meni ortum ducit, qua stella Mercurij, vt opinor, significatur, à Manach, quæ est pars, quòd mensis pars anni sit. Sunt qui putant* Mon/ *à Manno, Tuiscónis filio, secundo Germanorum rege dictum esse, quemadmodum Solem* die Sonn/ *à Suna vxore Manni. Vnde & dies Solis* der Sontag/ *& Lunæ dies* der Montag/ *appellari cepit. Sed hæc in Isagoge nostra historica exponuntur copiosiùs.*

Mond.

Sontag.

Montag.

Circumcisio.

11. Vocatur circumcisio Christi, quòd *hoc ipso die, qui est octauus à natiuitate, puer*

er Iesus in templo Ierosolymitano, ritu eo, quem ipsemet anno mundi bis millesimo, quadragesimo octauo instituit, et Abrahamo eiusq; posteris mandauit, circumcisus est.

III. Caussa circumcisionis Christi: *Etsi natus ille absq; peccato nulla lege teneri potuit, sed potius Dominus legis fuit: tamen legi etiam in hac parte se subiecit, circumcidiq; se passus est, vt legem vniuersam pro nobis impleret, vt Galat. 4 scriptum est: Factus est sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Voluit etiam hoc ipso ritu testari, se ex posteritate Abrahami natum esse, & quidem membrum esse Ecclesiæ Iudaicæ.* Caussa circumcisionis.

IIII. Nomen Iesu in circumcisione inditum. *Iesus est qui salutem dat, vel saluator, vt Lactantius, Ausonius, & recentiores alij loquuntur. Ratio tanti nominis expressa est ab Angelo. Mat. 1. quod videlicet populum suum saluum faciat à peccatis suis. Vt autem in nomine Iesu magna vis est & efficacitas consolationis: ita in nominibus Christianorum, quæ in Baptismo, qui est loco circumcisionis Iudaicæ, imponuntur,* Iesus.

pondus

Digitized by Google

pondus est, & multum solatij, vt alius appelletur Christianus, alius Theodorus, alius Ioannes, alius Benedictus, alius Daniel, alia Catharina, alia Anna. Sunt enim quasi quædam vincula colligantia Christum & Christianos tanta συζυγία, vt ea à nullo diabolo rumpi aut violari possit.

Nouus annus.

V. Appellatur hic dies Nouus annus. *Inde enim initium anni ducitur. Tametsi enim bruma siue solstitium hybernum, tempore Iulij, principium anni dedit, quod etiam Ouidij versibus indicatur:*

Bruma initium anni.

Bruma noui prima est veterisq; nouissima Solis:
Principium capiunt Phœbus & annus idem:

Tamen à puncto illo solstitij paulatim discessum est, & quatuordecim diebus tardius nunc incipitur annus.

Iudæi incoarunt annum ab æquinoctio verno: *quo & conditus mundus putatur, & omnia renouari incipiunt. Athenienses verò cum reliquis Græcis à solstitio æstiuo, AEgyptij & Asiatici ab æquinoctio autumnali, sed Romani, autore Romulo, auspicati sunt annum à Martio. Numa verò Pompilius decem mensibus Romuli*

alios

alios duos adiecit, Ianuarium & Februarium. Inde ergo à Ianuario anni initium est ductum, vel propter Ianum bifrontem, qui ἅμα πρόσω καὶ ὀπίσω, præterita & futura vidit, vel vtriusq; mundi, primi & secundi, spectator fuit, vel ob naturæ ordinem. Hoc enim tempore Sol ad nos conuerti incipit, & lucis suæ vsuram diuturniorem, benigniorem q; pollicetur. Ianus.

Veteres Germani ante Calendas Ianuarij vino liberaliùs vsi sunt, adeoq; alter alteri munuscula vini mittere consueuit. Quam consuetudinem penè dixerim inde esse natam, quòd Ianum, qui non alius fuit, quàm Noamus, olim coluerunt, velut parentem siue autorem vini post diluuium. Vnde etiam Oenotrius, id est, vinitor est dictus. Eidem etiam sacra fecerunt Romani ex libo, mola, thure & mero, vt est in versu Ouidij: Vini mutua mutua.

Iane, tibi primùm thura merumq; fero.

Christiani nouum annum à natali Christi mediatoris & saluatoris, siue ab eius circumcisione ordiuntur: quandoquidem scilicet Anni initium apud Christianos.

legem subiens, legem pro nobis implere, & sanguinem immaculatũ pro nobis fundens, salutem nostram operari cœpit, vt Bernhardus Serm. 2. de circũcisione dixit.

Gratulatio in anni initio.

VI. Gratulatio noui anni: *Mos est Christianorum & pius & salutaris, vt alter alteri nouum optet, aut gratuletur annum. Complectitur autem gratulatio hæc votum ardens, & precationem seriam, vt nouus annus bene, prospereq; eueniat, & sæpius eadem felicitate recurrat. In hac gratulatione primùm respicere debemus, & præteriti temporis memoriam recordari vltimam, vt quæ nobis bona, malàve in vita antè acta acciderunt, altè in animo reputemus, Deoq; pro paterna & clementi conseruatione vitæ, pro victu, pro defensione in periculis, atq; adeò pro omnibus beneficijs, spiritualibus & corporalibus, gratias agamus. Tum orare etiam nos decet, vt in tempus posterum nos eadem bonitate Deus custodiat, protegat, alat, foueat & tueatur, faciatq; nos vasa misericordiæ & organa salutaria nobis ipsis & alijs.*

Gratu-

Gratulationi additur sæpenumero strena ad testificandum atq; declarandum amorem, benevolentiam atq; fidem mutuam. Est enim strena nihil aliud, quàm testimonium atq; pignus vel amicitiæ, vel pietatis, vel gratitudinis mutuæ, re atq; facto declarans id, quod animus atq; voluntas optat atq; precatur.

Strena à Strenua dea, quæ impellere homines credebatur, vt strenuè agerent

Primus Tatius Sabinus, Romuli in administrando regno socius, legitur accepisse verbenas Felicis arboris è Streniæ deæ luco decerptas, meriti præmij loco.

Fuit eadem precatio mutuæ felicitatis, ineunte anno nouo, etiam Romanis vsitata, quemadmodum in versibus Ouidij declaratur:

At cur læta tuis dicuntur verba Calendis,
Et damus alternis, accipimusq; preces?

VII. Calendis Ianuarij Romæ designati consules magistratum ineunt, in Capitolium ascendentes.

FESTVM MAGORVM.

VIII. Idus Ian.

I. Nomen: Vocatur hoc festum à Nazianzeno τὰ ἐπιφάνια, id est, luminaria.

Epiphania

Item τὰ φῶτα ἅγια, id est, lumina sancta, hoc est, dies sanctorum luminum, quòd hoc die, stella illucescente, Magi ad Christũ venerunt, & tota Diuinitas ad Iordanem in baptismo Christi sese patefecit. Veteres ecclesiastici etiam appellant ἐπιφάνειαν, id est, apparitionem. Nominatur præterea festum Magorum. Item Regalia, vel dies trium regum, nescio quo opinionis errore, cùm non reges fuerint Magi: quamuis ea potentia esse cœperint, vt vnus regnum adeptus sit, mortuo Cambyse, vt est apud Herodotum lib. 3.

Magia.

II. Quid sint Magi. *Magiæ nomen ab Hebræo Haga, meditatus est, inquisiuit, deductum videtur. Ex quo liquet, Magiam id esse Persis, quod Musa est Græcis atq; Latinis, indeq; Magistri nomen factum esse apparet. Musa verò ex Hebræa voce Musar nata est, quæ Græcis est παιδεία, Latinis disciplina. Vnde Cal Musar omnis disciplina composito nomine appellatur. Plato in Alcibiade ait, Magiam esse doctrinam de Deo & cultibus diuinis, sed*

Musa. Magister.

postea

postea, perinde vt Sophista, ad abusum conuersa, vsurpari cœpit pro superstitioso DEI cultu & incantatione. Magos igitur vocârunt Persæ sapientes suos, quos AEgyptij appellabant sacerdotes, Indi Gymnosophistas, Græci Philosophos, Galli Druidas, Germani die Pfaffen / *vel Saxonico idiomate* die Papen / *à Papa scilicet, cuius ductum sequuntur.*

Magi.

inde Brachman

Officium autem Magorum ex Platonis narratione cognosci potest, qui in eodem Dialogo scribit, Quatuor Magistros esse datos regis Persici filio, quorum primus sapientissimus, magiam tradiderit: Secundus iustissimus, ad veritatis cultum assuefecerit: Tertius temperantissimus, voluptatum moderationem inculcarit: Quartus fortissimus, ad magnitudinem animi traduxerit.

Magorum officium.

tom. 1. pag. 104.

1111 Locus, vnde venerunt: *Ex oriente venisse, Matthæus affirmat, ex Persia venisse, appellatio arguit: & cùm sapientia & eruditione excelluerint: consentaneum est, eos venisse ex vrbe Susa ab Hiero-*

Digitized by Google

solymis versus orientem sita, in qua Academia fuit liberalibus studys affluens, itinere ducentorum & triginta millliarium:

Saba. *non à Saba, quæ ab vrbe Ieroſolyma verſus meridiem ſita eſt.*

IIII. Tempus: *Certè tredecim diebus tam longum iter confici non potuit: veniſſe tamen Magos, dum adhuc in vrbe Bethlehem commorata eſt Maria puerpera, ex hiſtoria Euangelica conſtat. Epiphanius putat, poſt biennium à nato Chriſto veniſſe.*

V. Acta Magorum. *I. Excitati ſtella Chriſti, quam Deus ad hunc vſum peculiariter in ſublimi collocauerat, vt magis præluceret, & ad adorandum Chriſtum dux eſſet, iter difficile & longinquum ſuſceperunt, non cæca ſpe, ſed certa fiducia, amore & reuerentia erga natum Meſſiam ducti, vtpote quem ex reliquijs doctrinæ Danielis, & ſingulari Spiritus ſancti inſtinctu nouerant.*

VI. Quærunt Meſſiam in Eccleſia & verbo diuinitus tradito, nempe Ieroſolymis, vbi erat templum & cultus Dei, & quidem

quidem apud ordinariam potestatem Ecclesiasticam.

VII. Edocti verbo Dei sequuntur eius ductum, & relicta Ierosolyma, veniant Bethlehem: quod est Christianorum proprium, videlicet abducere animum & cogitationem ab externo cultu & splendore ad humilia & despecta in mundo.

VIII. Inuentum infantem adorant, & muneribus afficiunt tanquam regem, verum cœli & terræ Dominum, & tamen in carne humana manifestatum, vt pati, moriq; posset.

Aurum, thus, Myrrham, regi, hominiq; Deoq;
Dona ferunt, vt inquit Iuuencus.

IX. Non abijciunt, nec mutant genus vitæ, sed peracto diuino cultu, reuertuntur in regionē suā ad pristina vitæ munera obeūda.

X. Diutius reguntur in via, ne in Tyranni Herodis manus incidant, vt pote à quo absq; vlla dubitatione immani cæde trucidati essent: ne scilicet fama de nato rege seu Messia per eos emanaret.

XI. Nomina. Ortum inde est figmentum de nominibus Magorū, quibus nō illepidè Nomina Magorum.

significantur tres ordines vitæ. Nam Melchior est rex illustris, Balthasar dominus militiæ, Caspar scriba. Cæterùm corpora trium regum primùm ex Parthia Constantinopolin, inde Mediolanum, Mediolani A. Christi 1162. inuenta à Friderico imperatore donata esse Reinoldo, Archiepiscopo Colonienſi dicuntur.

Krantzius Saxoniæ l. 6. c. 24.

AGONALIA. V IDVVM Ianuarij. vel IX. Ian.

Agonia siue Agonalia ἀπὸ τῶν ἀγώνων, hoc est, à ludis siue certaminibus Græcorum dicta esse, Ouidius censet, cùm inquit:

Fas etiam fieri solitis ætate priorum,
Nomina de ludis Græca tulisse diem.

Carmentalia.

Vndecimo Ianuarij celebrata sunt Romæ Carmentalia. Fuit autem festum Carmentæ, quæ cum filio suo Euandro ex Arcadia in Italiam venit profuga, & à rege Fauno recepta est, anno mundi 2728: cumq; mulier esset vatidica præclara, de imperio Romano vaticinata est. Ex quo à matribusfamilias hoc die sanctè culta est.

Plut-

Plutarchus in quæstionibus Romanis ait, inde ortum esse hoc festum, quòd senatus Romanus aliquando edixit, ne mulieres vehiculis vterentur. Quod edictum cùm grauiter illæ ferrent, conspiratione facta, neq; vterum gerere amplius, neq; parere voluerunt, donec vsus vehiculorum iterum concederetur. Cùm autem concessus ille esset, Carmentæ templum condiderunt & sacra fecerunt. Quod ipsum etiam Ouidius comprobat.

ANTONIVS, XVII. Ianuarij.

Anno Christi 271. Antonius eremita, relictis omnibus, quæ habuit, in eremum concessit, anno ætatis suæ 20. Vbi paruo contentus, tenui victu, cultuq; delectatus est. Ab hoc Antoniani eremitæ profecti adhuc pane, aqua & sale vitam sustentant. Vitam in omni pietatis, patientiæq; exercitatione vsq; ad annum ætatis 105. Christi verò 355. perduxit.

Extat Antonij dictum memorabile con-

Antonius videtur Græcis idē esse, quod propola Latinis.

tra fastum & insolentiam iuuenum: Si quis, inquit, videat iuuenem de arduis rebus disputantem, & iam altero pede cœlum conscendentem, detrahat illum in terram, & retineat in doctrina de communi vita. Interrogatus à quodam Philosopho,

Antonius ignarus literarum libris non eguit.

quomodo viuere absq; librorum copia posset? respondit: O Philosophe, meus codex est tota rerum natura, quæ adest, quando volo, & relegit mihi verba Dei.

Antonianus Porcellus.

Alius est Antonius Viennensis, autor ordinis Antoniani, cuius symbolum est, Porcellus.

MARTHA, XIX Ian.

Martha Latinè materfamilias, vel rebellis, soror Mariæ & Lazari, apud quam in Bethania, hoc est, luctus seu misericordia domo, Christus diuertit. Ipsa verò anxio & solicito animo cibum ei comparauit, pedes vnxit, & excitata atq; inflammata concione illius ardentissima, paulò ante resuscitationem Lazari, confessionem vberrimam edidit de duobus maximis articulis, quòd Iesus sit promissus Sal-

Lucæ 11.

uator

uator gentis humanæ, & Filius DEI verus.

BLANDINA, XIX Ian.

Imperante Antonio Philosopho, circa annum Christi 168. in Gallia tempestas est oblata Christianis formidolosissimi temporis. Nam ad supplicia repiebantur promiscuè viri & mulieres, natu maiores & minores. Inter hos etiam Blandina fuit, matrona pia Lugduni. Cuius animus spe & metu sæpius tentatus, impelli ad defectionem à Christo non potuit. Sed tanta fuit tolerantiæ virtute roborata, vt defatigarentur prius & concideret Carnificum manus, quàm illa frangeretur cruciatuum magnitudine aut diuturnitate. Quocirca iterum atq; iterum ad supplicium retracta in medijs tormentis voce magna idem exclamauit: Christiana sum. Eaq; voce sic recreata est, vt animus eius ad tolerandos cruciatus mirabiliter confirmaretur. Ad extremum verò gladio iugulata est. Eusebius lib. 5. hist. Ecclesiast.

FABIA-

FABIANVS, SEBASTIANVS. XX Ian.

Fabianus Romanus episcopus fuit electus, cùm variantibus sententijs ipse quoq; spectandi causſa ad electionem accessisset. Subitò enim diuina prouidentia cœlitus delapſa columba ſupra caput eius adſtitit, quo ſpectaculo ita commoti ſunt omnium, qui aderant, animi, vt vna mente, & voce Fabianum episcopum renunciárint. Huic ergo muneri ſanctè & integrè præfuit annos 14, ſecundum Onuphrium, & tandem anno Chriſti 251. imperante Decio, affectus eſt martyrio, Euſeb lib. 6.

Sebaſtianus Mediolanenſis dux militaris fuit ſub Diocletiano, qui martyrum conſtantia incenſus Chriſtianum ſe quoq; profeſſus eſt. Itaq; Imperatoris iuſſu ad arborem alligatus, & telis confoſſus eſt.

AGNES.

Das reine Keuſche Jungfrewlein.

XXI. Ianuarij.

Agnes virgo caſta & pia ab Ethnico quo-

quodam, præfecti vrbis filio, adamata est, formæ caussa, quæ insignis in ea fuit. Huius connubium cùm repudiaret puella, nuda in lupanar tracta est, vbi tamen diuinitus eius pudicitia custodita est ab angelo, monstrata veste, qua nuditatem suam tegeret. Ethnicus verò, furens libidine ad eam vitiandam ingressus, mirabiliter repressus est. Postea in ignem coniecta exuri non potuit. Iccirco cultro confossa spiritum Deo in constanti confeßione Christi reddidit, circa annum Christ 330. quando mense vno feruntur occisa septendecim millia martyrum, exceptis exulibus.

TIMOTHEVS, id est, honorans Deum, vel honoratus à Deo.

XXIIII. Ian.

Timotheus natus in oppido Lycaoniæ Lystra, patre Ethnico, matre vero Iudæa, à puero pietate & literis eruditus est. Eum ergo Paulus comitem, consortem & adiutorem in munere docendi Euangelium adoptauit, & filij loco habuit. Ex quo Germanus eius discipulus & filius appellatur,

cui nomen Eunica. 2. ad Tim. 1.

quod

quòd eadem pietate, fide ac constantia Euangelium, qua Paulus ipse, docuit. Secutus est Paulum multis itineribus, & re, operaq; eum fideliter adiuuit, donec Epheſi ab eo relictus, Ecclesiæ Episcopus ibi factus est. Apparet, eum & valetudine & naturâ infirmiorem fuisse: ideoq; vino pauculo iubet eum uti Paulus, propter stomachum & crebras infirmitates. Epheso Romam vocatus à Paulo, visitauit eum in vinculis, & postea Ephesum reuersus, cùm in idololatriam Ephesiorum in festo Dianæ vehementiùs esset inuectus, fertur lapidibus opertus atq; necatus esse, Anno Christi 96.

CONVERSIO PAVLI.

XXV Ianuarij.

I. Nomen & persona: *Vocatus est Saulus, quæ est Hebræa appellatio, idem significans, quod petitus seu postulatus. Postea appellari cœpit Paulus, quod nomen Græcis & Romanis familiarius fuit atq; gratius, vtpote quorum ordinatus erat à Deo Apostolus.* παῦλος *autem Græcis significat quietũ. Augustinus verò de spiritu &*

tu & litera cap. 7 ait : Paulum hoc nomen elegisse, vt se ostenderet paruum, tanquam minimum Apostolorum, ad reprimendam superbiam, & extollendam Dei gratiam. Cæterùm corpore fuit Paulus paruo & contracto, & quasi incuruo atq; paulatim inflexo, facie candida, oculis multa inerat gratia, teste Nicephor. lib. 2. cap. 37.

II. Patria, Natales. *Natus est Tarsi Ciliciæ vrbe nobili, & Colonia Romanorum, vbi schola fuit liberalissimis studijs affluens: patre vero Hebræo ex tribu Beniamin. Distat Tarsus ab vrbe Hierosolyma versus septentrionem milliaribus 76.*

III. Studia. *Didicit primùm artes & Philosophiam in schola patria, legit Poëtarum veterum scripta, Arati, Epimenidis, Menandri: deinde missus est Ierosolymam, vbi præceptore Gamaliele, ad exquisitam formam patriæ legis institutus, & sectam Pharisæorum amplexus est, Act. 22. Ex quo etiam zelo magno pro secta sua pugnans, omni vi & impressione sectatores doctrinæ de Iesu Nazareno impugnauit & infectatus est.*

4 Conuersio

IIII. Conuersio: *Anno Christi 35, cùm Ierosolymis Damascum, itinere quadraginta millium Germanicorum proficiscerentur, delectus à Principibus Sacerdotum, & toto ordine Seniorum hæreticæ prauitatis inquisitor acer & plenus furore: Ecce in ipso meridie, prope Damascum, luce quadam, Solis splendorem superante, de cælo prostratus est. Mox ductus in vrbem cæcus, ab Anania baptizatus est, & visu recuperato, ordinationem accepit, factus* σκεῦος ἐκλογῆς, *instrumentum electum, annuncians nomen Iesu coram gentibus & Iudæis. Sic ergo Apostolus Christi factus, ardenti zelo Christi doctrinam propagauit, quam antè impugnârat.*

V. Caussa conuersionis. Hæc certè non fuit odium, blasphemia, & hostilis insectatio Christi atq; Ecclesiæ eius: Fuit enim is ζῆλος ἄζηλος, *ardor animi nequaquam imitandus: Sed sola Dei misericordia in Filio promissa, quam antè ignorauit,* ᾧ ἀπιστία, *id est, fidei expers, 1. Tim. 1. Sed oblatam & cognitam* οὐκ ἀπιθὴς, *non diffidens, acceptauit.*

VI. Acta

VI. Acta. *Vocatus ad Apostolicum munus statim cum discipulis, qui erant Damasci, prædicauit Christum in Synagogis, omni asseueratione cõfirmans, eum esse Filium Dei, per quem vnum & solũ remissionem peccatorum, salutem, iustitiam & vitam accipiant omnes, qui credũt in eum. Hæc enim est hypothesis, & aurea propositio doctrinæ Pauli: Iustificamur gratis ipsius gratia, per redemtionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius.*

VII. *Refutauit ingenti spiritu Pharisæos, & alios ex circumcisione falsos doctores, quos ipse vocat pseudoapostolos, & falsos fratres, qui iustitiam fidei extenuabant, & operum iustitiam inculcabant.*

VIII. *Ab vrbe Ierosolyma vsq; ad Illyricum omnia loca Euangelio impleuit. Docuit enim Euangelium circiter annos triginta quatuor, in bona parte orbis terræ, ab oriente progressus in occidẽtem, itinere milliarium Germanicorũ fermè ter mille. Ex quo sane quot, quamq; difficiles pere-*

grinationes & labores sustinuerit, intelligi potest.

IX. *Pericula, insidias, ærumnas, certamina, supplicia plurima expertus est. Damasci in sporta demissus est per murũ. Ierosolymis admonitus in ecstasi, mortis periculum euasit. Antiochia pulsus est, Act. 13. Lystris lapidatus est, & tanquam mortuus ex vrbe tractus. In Philipporum vrbe cæsus est virgis cum Sila, & carceri inclusus. Thessalonicæ excitata seditione, eiectus est. Ephesi cum bestijs pugnauit, 1. Cor. 15. Ierosolymis mota seditione, factaq; conspiratione quadraginta virorum ad interficiendum illum, captus est à Tribuno cohortis Claudio Lysia, & Cæsaream ad Felicem præsidem missus. Act. 23. Cæsareæ biennium fuit captiuus. Act. 24. Inde missus est captiuus Romam, initio hyemis nauigatione difficilima, & plenissima periculis. Actor. 28. Romæ duos annos mansit in libera custodia, vocatúsque ad Cæsaris tribunal, vt causam diceret contra Iudæos accusatores, valedixit omnibus amicis suis,*

ad

ad ſupplicium mortemq; paratus. Verùm tunc decretum nullam in eum eſt factum. Poſtea verò productus denuo ad Neronem, cauſſam coram eo dixit, & ex ore leonis liberatus eſt, poſt liberationem per totum decennium ferè docuit Euangelium in Italia, Gallia & Hiſpania.

X. *Scripſit Epiſtolas, quæ totam Scripturam interpretantur, enarrant atq; illuſtrant. Sunt enim illius Scripta Commentarij luculentiſſimi Moſi, Prophetarum & Chriſti concionum.*

XI. *Edidit Deus per manum Pauli virtutes non vulgares, vt Act. 19 ſcribitur. Lyſtris ſananit claudum, Act. 14. Admotis ſudarijs aut ſemicinthijs eius, ægroti conualuerunt, & ſpiritus maligni eiecti ſunt. Eiecit dæmonium ex puella vatidica: terræ motu facto carceris oſtium, in quo erat Paulus cum Sila, patefactum eſt, & ſoluta ſunt vincula, Actor. 16. Mortuum Eutychum reuocauit in vitam, Actor. 20.*

XII. Viſiones Pauli: *Per viſum noctu vocatur in Macedoniam, Actor. 16.*

Per visionem accipit vocem Domini: Ne time, sed loquere, Act. 18. Dominus assistens illi nocte consolatur eum. Act. 23. Angelus prædicit illi naufragium in profectione ad Cæsarem, Act. 17. Ipsemet prædicat, se Euangelium suum per reuelationem Christi accepisse, Gal. 1. Est raptus in paradisum, & tertium cœlum, audiuitq; arcana verba, 2. Cor. 11.

XIII. Infirmitates Pauli: *Quæ scriptæ sunt, vt alios imbecilles consolentur. Exacerbatus seiungit se à Barnaba, Act. 15.*

XIIII. Exitus è vita: *Tandem retractus Romam à Nerone capite truncatus est, Anno Christi 69. in via Ostiensi. Euseb. lib. 2. historiæ Ecclesiasticæ, cap. 22. Sic confecit curriculum suum bene longum & laboriosum, organum illud electum & pretiosum, salutareq; nobis omnibus Christianis, qui ad finem mundi futuri sunt: Pro quo DEO gratias agimus nunc, & agemus in omni æternitate. Hic enim verè est Apostolus κατ' ἐξοχὴν, per excellentiam, & tantum*

tantum profecit in propagatione Euangelij, quantum non alius vllus.

XV. Prognostica. *Dies Pauli criticus est, ex quo iudicium fit de anni totius salubritate, sterilitate, aut fœcunditate, sicut in versibus continetur:*

Clara dies Pauli, bona tẽpora denotat anni:
Si fuerint venti, designat prælia genti:
Si fuerint nebulæ, pereunt animalia quæq;
Si nix, si pluuia, designat tempora cara.

POLYCARPVS.

Sehr fruchtbar/oder viel nutzbarlich.

XXVI. Ianuar.

Polycarpus fuit sidus discipulus Iohannis Euangelistæ, & Episcopus Smyrnæ in minori Asia. In Apocalypsi vocatur doctor Ecclesiæ salutaris: Venit Romam circa annum Christi 159, & multos ab hæresi Marcionis & Valentini ad orthodoxam fidem Christi traduxit. Cùm autem ad rogum damnatus igni imponeretur, mox flamma sic diuisa est, vt in medio sui locum tutum

Polycarpo præberet. Corpus verò eius in
star auri effulsit, & odor inde exhalans ad-
modum suauis astantium nares compleuit.
Cùm igitur igni nullo perdi posset, mucro-
ne transfossus est, & ex vulnere sanguis
tam copiosus effluxit, vt rogum extinxe-
rit. Marcion. *Eusebius lib. 4. cap. 15. Obuiam ei fa-*
ctus est aliquando Marcion hæreticus, &
dixit; Cognosce nos: respondit Polycarpus:
Cognosco te primogenitum Satanæ. lib. 3.
cap. 3.

FEBRVARIVS.

Ouid. 2. Fast. Februa Romani dixere piamina pastes.

Februarius à februando, id est, ex-
purgãdo dictus est. Februare enim est ex-
purgare, & februa sunt καθάρματα sine
sacrificia pro defunctorum manibus. Soliti
enim sunt Romani prisci hoc mense Fe-
brua celebrare, totamq; vrbem lustrare,
siue purgare piaculis, sacrificijs, cereis ac
facibus accensis: quò defunctorum anima-
bus quietem impetrarent. Græcè vocatur
ἐλαφηβολιών, *à voce* ἔλαφος, *ceruus, &*
βάλλω *iacio, quòd cerua litatum sit Dia-*
næ hoc mense. Germanicè Hornung *à*
cornibus

cornibus scilicet, quod cornua sua cerui hoc mense amittant. Est autem ademtus huic mensi vnus dies, & adiectus Augusto, honoris caussa, vt cùm antea 29 habuerit, nunc 28 tantum dies complectatur.

Cur 28. tantùm dies habeat Febr.

FESTVM PVRIFICATIONIS Mariæ, 11. Febr.

1. Nomen. *I. Vocatur purificatio Mariæ Hebræorum more, ab historia scilicet, seu facto ipso, quòd nimirum hoc die quadragesimo à natiuitate Christi, Maria in templo purgârit se more puerperarum, secundum legem Mosi, Leuitici 12.*

II. Institutum est hoc festum Constantinopoli, anno Christi 542. cùm maximum à pestilentia periculum esset, autore Sigeberto.

à Justiniano Imp.

III. Appellatur festum consecrationis candelarum in pontificia Ecclesia, quòd in ea candelæ consecrentur, quæ in processione solenni gestantur, & ad abigendum diabolum adhibentur. Hoc nomen totum superstitio-

Polydor. Virgilio + inuent. rer. l. 5 c. 1, p. 413.

stitiosum est, & Ethnicis magis, quàm Christianis cõuenit. Legimus enim, Proserpinam olim facibus & lychnis cultam esse ad eum fermè modum, quo Pontificij matrem Domini Mariam venerari solent.

Christiani aliud lumen efficax & salutare nullum habent, præter Iesum Christum, lumen verũ, quod illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum.

IIII. Nominatur idem festum ὑπαντὴ, *obuiatio, quòd Simeon in templo oblatum puerum Iesum amplexus sit, vel obuiam illi processerit.*

V. Causſa purificationis Mariæ: *Lex de immunditie puerperæ ad Mariam non pertinebat. Loquitur enim de nato ex virili semine. Sed Christus non est natus ex virili semine. Itaq; Christum hæc lex non obligauit. Est igitur causſa purificationis huius, quam Paulus Gal. 4 exponit: Postquam venit plenum tempus, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxiũ, vt eos, qui legi erant obnoxij, redimeret.*

VI. Puer-

VI. Puer Iesus secundum legem *Deut. 15. de primogenitis offertur atq; sistitur Domino, tanquam consecratus Deo, & verus Sacerdos in æternum.*

VII. *Simeon incensus Spiritu sancto agnoscit puerum Iesum Messiam, in templo complectitur, & de eo ante aram, conspectum q; Domini, testimonium atq; vaticinium illustre, tanquā cygneam cantionem edit, ingenti lætitia exultans, quòd tandem in vltima senecta sibi contigerit, tot seculis expectatum ac desideratum Messiam, omnium populorum Saluatorem, videre: vtpote in quo vno acquiescere, atque mori nunc aliquādo cupiat. Adstitit huic Simeoni, solicitè admodum cogitanti aliquando de Prophetia Esaiæ: Ecce virgo concipiet, & pariet filium: Angelus, & dixit: Non prius eum ex hac mortali vita discessurum, quàm illum ipsum virginis fœtum suis oculis conspexisset. Nicephorus lib 1. Cap. 12.*

BASILIVS, III FEBRVARII.

Latinè Regius. Königlich.

I. Natales. *Natus est ex pijs parentibus: Pater fuit primùm scholæ Rector in Ponti oppido, Nyssa. Ex Ludimoderatore factus est sacerdos & Episcopus, à quo Basilius pietatis & doctrinæ literarum elementa didicit.*

II. Studia: *Perceptis pietatis & artium initijs, in Academiam Cæsariensem Cappadociæ missus est, vt Philosophiæ & eloquentiæ studeret. Inde Athenas profectus est, vbi cum Nazianzeno familiariter vixit, & Theologiæ operam nauauit.*

III. Acta: *Cæsareæ primùm adiutor datus est Eusebio Episcopo in gubernatione Ecclesiæ: deinde mortuo Eusebio, Episcopus eius loco factus est, Anno Christi 380.*

IIII. Modestia: *Cùm simultas orta esset inter Basilium & Eusebium: non ambitione cum eo certauit, sed sponte cessit, & in monasterium Ponti sese abdidit, & solitariam vitam sectatus est.*

V. Certamina: *Incidit Basilij ætas in perturbatissima tempora Ecclesiæ, quibus Aria-*

Arianus furor per vniuersum penè orientem grassatus est. In hac igitur tempestate ita eluxit Basilij industria, vt penè solus extinctæ fidei quasi quædam scintilla fuerit reliquus.

VI. Constantia: *Præfectus imperatoris Valentis accersiuit ad se Basilium, placideq; primùm hortatus est, vt cederet tempori, nec propter dogma tam exile de Diuinitate Christi, tot Ecclesias turbaret, & in discrimen adduceret. Addidit etiam promissa multa de gratia Cæsaris & præmijs secuturis. Ad quæ respondit Basilius: Adolescentibus congruunt tales sermones, qui huiusmodi illecebris capi solent. Qui verò diuinis literis edocti sunt, mortem potiùs subire debent, quàm pati, vt syllaba vna de verbo Dei in discrimen veniat. Etsi igitur gratiam Cæsaris magnifacio: tamen Dei verbo anteferre eam non possum. Hoc sermone offensus Præfectus, desipere dixit Basilium. Ad quod Basilius, vtinam inquit, sempiterna hæc sit mea desipientia. Præfectus verò exilium ei minatus est,*

cst, nisi postero die aliter responderet: Cui Basilius, postridie, ait, idem ero: caue modò tu, ne animum tuum mutes, & ab eo, quod minatus es, desistas. Theodoretus lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 16.

VII. Scripta. *Extant monumenta ingenij & doctrinæ ipsius præclara, in quibus duo sunt quasi κεφάλια: Sermonis genus placidum, verecundum, æquabile, & perspicuum: & doctrina ipsa multas Physicæ & Theologiæ partes mirè illustrans: Inprimis verò, tanquam gemma enitet in concione eius de humilitate, testimonium de fide sola iustificante nos immundos coram Deo. Eadem particula etiam in Chrysostomi Homilia tertia in priorem ad Timotheum, & in Theodoreti enarratione 3. cap. ad Rom. reperitur. Hic consensus Ecclesiæ Græcæ cum hac nostra repurgata per Lutherum & Philippum mirificè nos confirmare potest.*

VIII. Mors: *Cùm voce & stylo propugnâsset pro salute & doctrina Ecclesiæ, euocatus est ex hac turba & colluuione in cœle-*

cœlestem consuetudinem, pronunciatis Psalmi verbis: In manus tuas &c. Anno Christi 380.

DOROTHEA
Gottesgabe.

VI. Februarij.

Dorothea virgo Alexandrina, formæ & pudicitiæ nomine celebris, cùm inter alios multos martyrij causſa ad ſupplicium à Maximino raperetur, per occultos nuncios à Cæſare de ſtupro interpellata eſt. Sed ipſa non minùs caſtitatis decus, quàm religionis Chriſtianæ profeſſionem conſtanter tutata eſt, & tyranni non ſolùm minas, ſed blanditias etiam à ſe repulit. Inde cùm plus periculi ſibi impendere intelligeret: domo ac familia relictâ, noctu clam cum paucis fidiſſimis famulis diſceſſit, & hoc menſe trucidata eſt. Euſebius lib. 6. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

LVPERCALIA.

XV. Febru.

Luper-

Lupercalia Romæ celebrata sunt, vt memoria Romuli & Remi, à lupa nutritorum, conseruaretur. Habuerunt enim nomen à Lupa. Vnde Luperci sunt dicti sacerdotes, qui in Lupercalibus sacra fecerunt. Hi mactatis capris, ex pellibus earum scuticas fecerunt, & subligaculis præcincti reliquo corpore nudi discurrerunt, & obuios quosq; verberârunt. Mulieres eorum ictus libenter susceperunt, quòd ad conceptionem & pariendi facilitatem eos conducere arbitrarentur.

IVLIANA,
XVI. Febru.

I. Nomen: *Iuliana seu Iulia ab Iulo nomen ducit, Germanicè,* Ein Junges Frewlein.

II. Vita & Mors: *Puella fuit admodum formosa Nicomediæ, quæ cùm expeteretur ab Eleusio senatore, connubium eius propter idolomaniam Ethnicam recusauit. Quamobrem vis ei allata est, & cùm adorare Ethnica idola nollet, supplicio affecta,*

affecta, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus.

CONCORDIA, XVII. Febru.

Concordia puella ob constantem Christianæ religionis confessionem occisa est, imperante Decio.

QVIRINALIA, XVII. Febru.

Quirinalia à Quirino dicta feria fuerunt, quibus Romuli memoria renouata atq; celebrata est. Flamen eius Quirinalis est appellatus. Est autem Romulus ingenti opinionis errore in Deos relatus, cum tumultuante populo atq; vociferante, vt Plutarchus ait, è medio sublatus esset, hoc est, à primoribus occisus, vt pœnas fraternæ cædis iustas exolueret. Hæc fuit ἀποθέωσις Romuli. Romuli ἀποθέωσις

Dictum quoq; est idem festum stultorum, quòd stulta populi pars in eorem diuinam fecerit. Item Fornacalia, Fornacis Deæ caussa instituta, quibus far in fornaculis tostum est. Vnde Ouid. Stultorum festum. Fornacalia

Facta

Facta Dea est fornax : Iati fornace coloni
Orant, vt fruges temperet illa suas.

Feralia. *Item, Feralia à ferendis epulis dicta, quas diis Manibus immolârunt.*

Charistia frequens mal. *Charistia ἀπὸ τῆς χάριτος, à gratia, quæ inter propinquos conciliata est. De his Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. sic scribit : Conuiuium solenne maiores instituerunt, idq; Charistia appellârunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur, vt si qua inter necessarios querela esset orta : apud sacra mensa, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur : Ouid.*

Proxima cognati dixêre charistia chari,
Et venit ad socios turba propinqua Deos.

TERMINALIA,
XXIII. Febru.

Ouid. Spargitur & cæso cõmunis Terminus agno: Nec queritur lactens, cùm sibi porca datur. *Terminalia à Termino, in cuius tutela erant fines agrorum, nomen inuenerunt, vtpote cui sacra his feriis facta sunt.*

REGIFVGIVM,
XXIIII. Febru.

Regi-

Regifugium ſacrum erat Romæ, quo memoria Tarquinij regis ob tyrannidem & libidinem eiecti repetebatur. Ouid.

Nunc mihi dicenda eſt Regis fuga: traxit ab illa
Sextus ab extremo nomina menſe dies.

CATHEDRA PETRI, XXII. Febru.

I. Nomen: *Eſt à ſede pontificia, quam Papiſtæ ingenti opinionis errore attribuunt Petro, quaſi primus fuerit Epiſcopus ſeu Papa Romanus. Ideoq; memoriam originis Pontificiæ ſedis hoc die celebrant, iniuria magna afficientes miſerum Petrum, quòd in Cathedra tam ſplendida ipſum collocant. Etſi autem Petrum veniſſe Romam Euſebius affirmat: tamen ibi neq; commoratus eſt diu, neq; Epiſcopatum tot annos, videlicet viginti quatuor, & menſes quinq;, vt nonnulli fingunt, tenuit. Ratio eſt: Quia Paulus ad Galatas diſertè pronunciat, Petrum fuiſſe Apoſtolum circumciſionis, id eſt, Iudæorum, non Gentium. Id quod etiam Epiſtolæ Petri ad populares*

Iudæos scriptæ ostendunt. Itaq; Romanus Episcopus haud esse potuit.

Prima ratio: Petrus fuit Apostolus Iudæorum.

Romani non sunt Iudæi, sed gentes,

Ergo Petrus non fuit Romanorum Episcopus.

II. *Ratio: Christus non concessit primatum Apostolis, Luc. 22.*

Petrus obtemperauit Christo.

Ergo Petrus nullum primatum tenuit Romæ.

Denig. iniuriam faciunt magnam Petro, qui ung. dignitatem Episcopi aut Pontificis Romani illi affingunt. Neq; enim tulit professio eius tantum splendorem, neque is fuit tunc Ecclesiæ status Romæ, vt Cathedra seu sedes Episcopalis aut pontificia vlli concederetur, aut imperium aliquod tribueretur. Non igitur est dubium, quin in extremo iudicio grauissimè accusaturus sit hic pius, egenus, afflictus, pauper, & morte tandem multatus Apostolus eos, qui in Cathedra tam splendida eum collocant,

&

& coronam Pontificiam assignant, à qua toto animo, absq; vlla dubitatione, abhorruit.

MATTHIAS, XXIIII. Febru.

I. Nomen: Matthias Hebrais idem est, quod donatus à Deo, de quo Baptista Mantuanus: Matthia donate Deo: sic namque

Latino

Diceris eloquio, lingua Theodorus Achiua.

II. Officium: fuit Apostolus sorte electus in locum Iudæ; Act. 1.

III. Acta: Docuit in Iudæa Euangelium; multosq; conuertit.

IIII. Exitus è vita: *Ductus ad Pontificem summum Ananiam, hostem Christi acerbum, nomen Christi constanter professus est. Quamobrem in lapidationem proiectus est, & tandem iussu præsidis Romani securi percussus, circiter annum tertium à Christo mortuo & resuscitato. Certius nihil de eius actis reperio.*

EQVIRIA. XXVII. Februarij.

Equiria ab equorum cursu dicta sunt, quòd eo die equi in campo Martio exercitati sunt. Festum est à Romulo Martis caussa institutum.

SEPTVAGESIMA.

In Septuagesima repetitur memoria septuaginta annorum, quibus populus Israëlis exilij ac seruitutis Babylonicæ ærumnas sustinuit. In qua quidem historia hæ partes ordine sunt notandæ.

1. Tempus: Capta est vrbs Ierosolyma, adductaq; maxima Iudæorum pars in Chaldæam, vnà cum Zedekiâ Rege, ex fuga retracto & excæcato, anno mundi 3365. à Nabochdonosore Magno Assyriæ Rege.

II. Caussa tam tristis & diuturni exilij *1. est multiplex idolatria. 2. Contemtus ministerij seu Prophetarum. 3. Contumacia in atrocibus delictis, ut 2. Reg. 17 scribitur. Quod enim illic de Israële commemoratur, idem etiam ad tribum Iuda accommodatur. Has igitur causssas in Dominica Septuagesimæ cogitare in animis accuratè*

accuratè debemus, vt Deum timere discamus, ne & ipsi propter easdem causſas, easdem pœnas nobis accersamus. Nam Deus

—— —— Vindice dextra
Haud dubiè humanos properat punire furores, *vt in versu dicitur.*

III. Acta septuaginta annorum in exilio. *Etsi plenum fuit hoc Iudæorum exilium lacrymis, angoribus atq; calamitatibus: tamen Deus mirabiliter in ipsis exilij arumnis gentem Iudaicam seruauit, & magna insuper gloria ornauit. Nam miraculis insignibus non doctrina tantùm de Deo comprobata est: sed ipsi etiam Monarchæ, Nabuchdonosor, Euilmerodach, Darius Medus & Cyrus ad agnitionem veri Dei conuersi sunt.*

IIII. Exitus. *Tandem exacta periodo 70. annorum, quam Deus per Ieremiam constituerat, promulgatum est edictum Cyri de instauratione templi & politiæ Ierosolymitanæ, anno mundi 3435. ante Christum natum, quingentesimo, tricesimo sexto.*

Alij Septuagesimam dici putant, à numero dierum, qui fere ad ferias Paschat in superſunt.

QVADRAGESIMA, vel ieiunium quadragenarium.

In Quadrageſima repetitur hiſtoria trium ieiuniorum miraculoſorum per quadraginta dies, Moſi, Eliæ & Chriſti in deſerto. Hinc ieiunium quadrageſimale in Eccleſiam inductum eſt à Teleſphoro VII. Pontifice Romano, circa annum Chriſti centeſimum, trigeſimum. Nec malo conſilio id factum eſſe apparet.

Voluit enim abſq; dubio hoc modo præparare homines ad ſeriam pœnitentiam atque meditationem paſſionis Chriſti. Tum voluit etiam conſulere ipſi naturæ, vt videlicet parcatur iſto tempore animalibus, quò fœtus eorum maturescant, & cibum poſtea ſalubriorem hominibus ſuppeditent.

II. Definitio ieiunij: Ieiunium κατὰ λέξιν

λεξιν, *est inedia seu abstinentia à cibo & potu. Passim in Scriptura significat etiam luctum & gestus lugubres, veram contritionem & pœnitentiam comitantes, Matth. 9. 17. 1 Cor. 7.*

Basilius περὶ νηστείας ἀληθοῦς νηστεία, *verum ieiunium, est alienatio mali, continentia linguæ, cohibitio iræ, cupiditatum, separatio obtrectationis, mendacij, periurij. Horum inopia verum est ieiunium.*

III. Caussa ieunij: vt videlicet carnis libido comprimatur, & ad pœnitentiam, seriámque meditationem ac precationem ardentior, promtiorq; sit animus.

IIII. Abusus: Prohibitio certorum ciborum à Pontificijs inducta quæstus caussa. Cui opponi debet præceptum Pauli: Nemo vos iudicet in cibo & potu. Et 1 Timoth. 4. Dæmoniorum doctrina talis prohibitio vocatur. 2. Hypocrisis vel simulatio ieunij. 3. Susceptio ieunij temeraria sine necessitate, quam reijcit Christus Mat. 6. vbi ait: Sponso præsente non esse lugendum: sed tum

demum lugendi tempus esse, cùm sponsus remotus est. Quo docet, non temere ieiunium, curam, aut afflictionem vllam esse accersendam, sed suo tempore luctum & squalorem à Christianis non esse abfuturum.

V. Verus vsus ieiunij primus est, comedere & bibere, vt corpus alatur, laboresq; vocationis effici possint. Item vitare ingluuiem & voluptates corporis, quibus inuocatio Dei, & vocationis operæ impediuntur. Quemadmodum Tertullianus in Apologetico ait: Comedunt Christiani, quantum esurientes capiunt, & bibunt, quantum pudicis est vtile.

Secundus, perferre crucem à Deo impositam, sine fremitu & indignatione.

Tertius, castigare corpus, vt mens sit vegetior & promptior ad orandum, meditandum, & obeundum vocationis munia.

MARTIVS.

Martius à Marte nomen adeptus est. Huic enim Romulus primùm anni sui mensem

sem dedicauit: vel quòd pater ipsius esse crederetur: vel quòd patrono illo bellicosa ciuitas Romana vteretur. Ouid:

——— Patrioq; vocat de nomine mensem,
Dicitur hæc pietas grata fuisse Deo.

SALIORVM FESTVM, Calendis Martij.

Salij fuerunt Martis sacerdotes, sic dicti à saliendo, quòd ancylia circumgestantes salire soliti sunt. Ancyle autem fuit scutum breue, quod Numa Pompilio regnante, de cœlo cecidisse fertur. Huic tantum tribuerunt Romani, vt potentissimam omnium fore suam ciuitatem crederent, quàm diu illud custodirent. Iccirco quotannis à sacerdotibus, adiunctis alijs peltis, circumgestatum est, cum saltatione armata, quæ collisis ad scuta gladijs fiebat, & strepitus ciebat, vt ait Dionysius.

MATRONALIA, 1. Martij:

A matronis hoc festum nomen habet. *Celebrata est enim in eo memoria matro-*

narum, quæ anno Mundi 3224 diſtidium & bellum graue inter Sabinos & Romanos ſedârunt. Cùm enim Romanis deeſſent initio Vrbis conditæ vxores, ad ludorum feſtiuitatem filias vicinorum populorum inuitârunt. Quò cùm etiam Sabinorum Filiæ acceſſiſſent, Romanorum quiſq; vxorem inde quamcunq; voluit, ſibi rapuit. Hinc bellum natum eſt, in quo cùm ad pugnam eſſet ventum, raptæ à Romanis matronæ mediæ ſeſe inter vtramq; aciem opposuerunt, & fidem, probitatemq; Romanorum Sabinis prædicârunt, oſtenſis liberis, quos ex illis ſuſceperant. Hoc ſpectaculo permoti Sabini ab armis deſtiterunt, & pacto fœdere cum Romanis in vnam gentem coaluerunt.

FESTVM GREGORII.

I. Nomen Gregorij Græcum eſt, à γρηγορέω, *vigilo*, Latinè Vigilantius dicitur, Germanicè, Wacker.

II. *Perſona*: Eſt hic Gregorius Pontifex Romanus ex manacho docto & perſtudioſo

dioso factus, anno Christi quingentesimo, nonagesimo, & propter pietatis, eruditionisq; laudem tandem canonisatus. In huius tumulo Epitaphium fuit positum, in quo hoc distichon memorabile est:

Implebatq; actu, quicquid sermone docebat:
Esset vt exemplum mystica verba loquens.

III. *Acta: Autor is est ceremoniarum Ecclesiasticarum, ordinis cantilenarum, & Psalmodiæ, qui nunc hodie in Ecclesia Romana tenetur, Item Antiphonarum, Introituum, supplicationum maiorum siue Litaniarum, stationum, præsertim in Basilica Petri, secundum platinam de vitis Pontificum.*

IIII. Consecuta mortem: *Quia scholas plurimùm ornauit & auxit, habitus est antistes & patronus scholasticorum, indeq; factum est, vt in ipsius festo die certis cantilenis ad scholam vocati sint, & adhuc vocentur pueri, subornato Episcopo, sub sancti Gregorij persona, cum adiunctis satellitibus ordinis sacri. Addi quoq; solent dona, quibus inuitentur ad scholarum amo-*

rem

rem pueri. Namq; dies, vt Ouidij verbis vtar, discipulos attrahit ilie nouos.

V. Natum esse videatur hoc festum à Quinquatrijs, quæ Ethnici solenniter celebrarunt, die 19 Martij. Habent autem nomen Quinquatria, à diebus quinq; quibus Præceptores discipuliq; feriati sunt. Et discipuli quidem Minerualia siue διδακτρα persoluerunt præceptoribus: præceptores verò discipulis spiras distribuerunt, vnde illud est Horatij:

Crustula blanda Dant præceptores pueris.

Conciones præterea in hoc festo habitæ sunt à Magistris de Pallade, & vero eius cultu: vtpote, à qua sola & vna omnis sapientia & doctrina petenda esset. Ex quo Ouid. dixit:

Qui bene placârit Pallada, doctus erit.

VI. Ex festo Palladis festum Catharinæ effinxerunt Pontificij: quippe quam Philosophiæ antistitem fecerunt, ab omnibusq; doctis coli in scholis voluerunt. Ex quo etiam festum Collegij celebratum est, quoties annuersarius eius dies redijt.

Nos

VII. *Nos verò doctrinæ & sapientiæ donum neq; Palladi, neq; Catharinæ acceptum referimus, sed autorem, fontem, & datorem sapientiæ & èruditionis, scholarumq; patronum vnicum habemus & colimus λόγον Iesum Christum, qui est orator, interpres & enarrator cœlestis: Et scholas ipse consecrauit sua præsentia, studio & disputatione cum Magistris & Doctoribus, cùm puer duodecim annos natus esset. Tum ingressus docendi munus sæpe in Synagogis conciones habuit. Ab hoc igitur solo intelligentiæ & eloquentiæ donum petimus & expectamus, & pro Pallade, Pele, id est, Filium Dei admirabilem, pro Catharina λόγον æterni patris colimus, adoramus & celebramus.* Catharinæ festum.

VER.

I. Nomen: *Ver absq; vlla dubitatione est à Græco ἦρ, quod ab Ἥρα, id est, Iunone, quæ aëris domina esse creditur, deductum videtur. Est enim Ver nihil aliud, quàm aëris temperies. Vnde Germanicè vocatur*

tur Lentz *à voce lenis, quasi lenis & temperatus aër, vel* Glentz *à tepido & grato Solis splendore.*

Moses in Genesi cap. 8. duas tantùm anni partes nominat, æstatem & hyemem, quibus Græci & Romani addiderunt ver & autumnum, vt aëris mutationes præcipuas indicarent.

Veteres Germani, vt est apud Tacitum, tria anni tempora numerárunt: Hyemem, Ver, & Æstatem.

II. *Temperies: Ver est tepidum & lene, propter propiorem & benigniorem Solis accessum atq; calorem: Prima quidem parte asperius, plerunq; apud nos, ob niuium & glaciei resolutionem, quòd tunc secundũ Poetam, soluuntur teneræ, Sole repente, niues: Postea verò paulatim fit mollius, quò propius Sol accedit.*

III. Amœnitas Veris: *Nulla pars anni plus voluptatis & amœnitatis habet, quàm ver. Nam & per se tepida eius temperies grata est, & auget suauitatem desideratã tam diuturno & molesto hyemis tempore frigoris remissio.* Eom-

IIII Commoda & effectiones. *Vere ineunte, Sol non tam luce, quàm calore ſuo benigno aërem mitigat, terram laxat & fouet, aquas reſoluit, vt nauigabiles ſint. Inde mirum eſt, quantam animãtia omnia, imò natura tota voluptatem capiat. Hominis enim vires recreantur, animus exhilaratur, & ad ſpem meliorem erigitur. Animalia bruta ad pabula exeuntia omni geſtu & voce lætitiam declarant. Aues cantu aërem mulcent & gaudium, pietatemq; ergà Creatorem abunde oſtendunt. Arbores denig, plantæ, & omnes res ex terra naſcentes, ex hyemis ſqualore tanquam ex morte reuiuiſcentes, ſuccum & vigorem priſtinũ recuperant.*

Omnia tunc florent, tunc formoſiſſimus annus.

V. Vſus Veris: *Aptum eſt vernum tempus ad arationem, ſationem, plantationem, omnemq; culturam arborum atq; agrorum, vt qui in eo ſementem non fecerit, aut plantarit, fructum metere non poſſit: Sic ingeny quoque & animæ cultui con-*

conueniens est inprimis & commodum. Tum enim alacrior, vegetior & promtior est animus ad meditandum, discendum & agendum quidquis. Quocirca euigilare decet literarum studiosos, omnemq; adhibere curam, vt hoc anni tempus tam iucundum, tamq; commodum bene vtiliterq; collocent: quo sequenti tempore & annis fructum doctrinæ salutaris percipere possint.

VI. Imago veris: *Tanta est veris gratia & pulcritudo, vt veræ beatitudini & felicitati, quæ in statu innocentiæ, integritatisq; ante lapsum hominis fuit, & in altera vita cumulatè instaurabitur, comparetur. Sic enim Ouidius ait: Ver erat æternum, &c. loquens de aureo seculo, quod nominarunt Poëtæ. Necabs re est, quod nonnulli putant, in Vere initium naturæ seu mundi esse factum, quòd eius temporis præcipua sit suauitas, & decus maximum. Vnde etiam hoc ipso tempore verno de florentissimis rerum primordys, & simul de læta instauratione naturæ in secutura vita admonemur.*

AN-

ANNÆ PERENNÆ, XV Martij.

Annæ Perennæ festum fuit geniale, quo bibere soliti sunt Romani largiùs, & quidem pro numero cyathorum, numerum annorum alter alteri precari, vt est in versibus Ouid. Sole tamen vinoq; calent, annosq; precantur,

Quot sumant cyathos, ad numerumq; bibunt.

Fuit autem Anna perenna soror Didonis, quæ errans ab AEneæ suscepta est. Sed cùm insidias Lauiniæ, vxoris AEneæ, metueret, fugit per fenestram exiliens, & ad Numicum amnem citato cursu peruenit, in eumq; præceps irruit. Inde quæsita clamore magno pro nympha est habita, & culta à Romanis.

BACCHANALIA SEV LIBERALIA. XVII Martij.

Liberalia Liberi festa, Græcis Διονύσια dicta, Bacchanalia verò Romanis. Liberalia quidem à Liberi sacerdotibus, qui per

totam vrbem eo die Libero patri rem diuinam fecerunt. Liber autem vocari videtur Bacchus, vel à libertate linguæ, quam vini potio parere solet: vel quod curis animum liberet. Dionysia verò à Dionysio, qui idem est cum Baccho. Bacchus verò ἀπὸ τοῦ βακχεύειν, à vociferando dicitur: Dionysium a Ioue & Nysæis nymphis, à quibus educatus esse fertur.

II. Ritus: In Græcia, instituto Melampi, fœminæ statuam fœdam, tanquam libidinis seminarium & incitamentum, per pagos cum cantu & tibia circumtulerunt. In Parnasso monte vino repleti, cum clamore magno & tympanorum crepitu hoc festum celebrarunt. Romæ quidem primum fœminarum sacrarium fuit, hoc est, ordo, vt nunc vocant, in quem solæ fœminæ solenniter initiatæ cooptabantur. Postea verò viri & fœminæ promiscuè coniuncti teterrimam libidinem exercuerunt, adhibitis tympanis, cymbalis, & vlulatibus horrendis, inter quos promiscuè etiam cædes mutuæ factæ sunt, proiectis cadaueribus occiso-

occisorum in specum, tanquam si à Dijs essent rapti. Aiunt circiter septies mille sacerdotes vtriusq; sexus talibus Bacchi festis initiatos fuisse. Soluti sunt etiam Roma personati vagari, & epulas propinquorum frequentare. Hoc malũ, tanquam lues quædam pestifera, adeò grassari cæpit, vt coërceri tandem oportuerit à Marco Catone, qui apud Liuium, Decad. 4 lib. 9. ait: Nunquam tantum, támq; latè patens malum in Repub. Romana cognitũ est: Quicquid libidine, quicquid fraude, quicquid scelere peccatum est, ex illo vno sacrario ortum est. Blondus lib. 2. de Roma triumphante: Nudi viri cum nudatis omnia membra mulieribus, matronis, viduis & virginibus ad sacra conueniebant, quæ non nisi nocturna erant, caput omnes pariter, femoraliaq; pampinis, & vuarum racemis cincti, alios item vuarum racemos in manu tenebant, & tumultuario inuicem commixti cœtu, in sublime saltantes, variaq; gesticulatione brachia, ceruicem, caputq; mouentes, carmen inconditũ Baccho cantabãt, nec prius erat saltationis

tionis modum, quàm defatigati, & toto corpore vacillantes, partim resupinarentur proximioribus inhærentes, partim in pauimentũ fanatici, amentesq; procumberent.

III. In Pontificio regno vsitata erant percursationes in plateis & vicis ciuitatis, cum laruis & vestibus monstrosis: plena erant stultorum omnia, agitabantur ludi varij saltationum, pyrrhicharum, comœdiarũ, mussitationum, talorum: concelebrabantur conuiuia, comessationes, adhibebantur choreæ frequentes, compotationes diurnæ & nocturnæ, vt insani illi dies non immeritò appellarentur.

IIII. Bacchanalia Ethnicorum conuersa sunt in Passionalia Christianorum. Quo enim tempore Ethnici & Pontificij personati tanquam insani discurrerunt, ludis & comessationibus vacarunt: eodem Christiani nunc memoriam & meditationem passionis Christi repetere incipiunt. Vnde pia quadam Ecclesiæ ordinatione ea ipsa Dominica, in quam Bacchanalia incidunt, Euangelium Christi tractatur, quo de passio-

paſſione & morte ſua Apoſtolos præmonet.

NOMINA DOMINICARUM in Quadrageſima.

Dominicæ in Quadrageſima ſiue ieiunio nomen habent à cantionibus Eccleſiaſticis, quæ vocantur introitus, vt: Eſto mihi, Inuocauit, Reminiſcere, Oculi, Lætare, Iudica. Sic enim incipiunt introitus illi, partim ex Pſalmis, partim ex Prophetarum concionibus excerpti, vt Eſto mihi, ex Pſalmo 31. Inuocauit, ex Pſalmo 90. Reminiſcere ex Pſalmo 25. Oculi, ex Pſalmo 25. Lætare, ex 69 cap. Eſaiæ. Iudica ex Pſalmo 43. Dies Mercurij in Dominica, Eſto mihi, appellatur Cineralia, der Aſchermitwoch / *haud dubiè per Metonymiam, vt cinis ſit ſignum veræ pœnitentiæ, à qua ieiunium & precatio omnis debet incoari. Vt enim Niniuita olim in cinere & ſacco pœnitentiam egerunt: ſic nos Chriſtiani, poſito ornatu, & omiſſa ingluuie omni, in vera animi humiliate, corporú q; caſtigatione, parare nos hoc tempore ad meditationem paſſionis & mortis Chriſti debemus.*

QVINQVATRIA,
XIX Martij.

Quinquatria Minervæ dicata, à numero dierum quinque, quibus continuari consueuerunt, nomen habent. Origo eorum inde est, quòd eo tempore ædes Minervæ in Auentino consecrata est, id quod Ouid. indicat his versibus:

Vna dies media est, & fiunt sacra Minervæ,
Nomina quæ iunctis quinq; diebus habent.

TVBAE LVSTRIVM,
XXIII Martij

Tubæ lustria sacrum fuerunt, in quo tubæ lustratæ sunt. Ouid.

Summa dies è quinq;, tubam lustrare canoram
Admonet, & forti sacrificare Deæ.

HILARIA,
XXV Martij.

Hilaria ab hilaritate nomen habuerunt, quæ ex eo concepta est, quòd Sol ab hoc æquinoctij die diem longiorem nocte portendit, vt Macrobius ait.

Annun-

ANNVNCIATIO MARIÆ, XXV Martij, quo æquinoctium vernum fuit, tempore Iulij & Augusti Cæsarum.

I. Nomen, Tempus & Locus: *Vocatur hoc festum, ἀγγελία, siue annunciatio, quòd in eo Angelus Gabriel, ad Mariam virginem missus, nunciauit ei decretum de conceptione Filij Dei in vtero eius, videlicet, anno Mundi 3961. mense sexto à conceptione Ioannis Baptistæ, & quidem in vrbe Nazareth, distante ab Ierosolymis milliaribus sedecim.*

II. *Modus conceptionis: De hoc Maria cum Angelo disputat. Ac Angelus quidem simpliciter verbum & mandatum Dei exponit: Ecce concipies, inquit, in vtero, & paries Filium. Huic opponit Maria argumentum ab impossibilitate:*

Natura non patitur virginem parere absque viro.
Ego sum virgo absque viro.
Itaque parere quomodo possum?

Respondit Angelus: Deus, qui est omnipotens, hoc efficiet, obumbrante, operante

& totam conceptionem perficiente Spiritu ſancto. Eſt argumentum à differentia. Dei opus hoc erit ſingulare, diſtinctum ab alys, quæ ſecundum communem naturæ ordinem fiunt. Addit etiam argumentum ab exemplo Eliſabethæ, quæ in ſenectute ſua contra naturam conceperat Iohannem Baptiſtam. Claudit tandem probationem epiphonemate: Non eſt impoſsibile apud Deum omne verbum, id eſt, Quicquid Deus loquitur, cum re & effectu coniunctum eſt: Quæ Dominus loquitur, ſunt verba ſimillima factis.

Maria conuicta hac diuina confirmatione, reuerenter ſeſe voluntati diuinæ ſubiecit, hoc ipſo facto docens, fide, non ratione in verbo Dei opus eſſe, vt ait Iuſtinus: Manifeſtum iudicium eſt incredulitatis, de rebus diuinis quærere, Quomodo?

III. Perſona concepti Meſsiæ: *Filius Dei, aſſumta humana natura, factus eſt Deus & Homo, in vnione perſonali duarũ naturarũ, diuinæ ex ſubſtantia Patris ab æterno, & humanæ de ſubſtantia Mariæ virginis, ante annos mille, quingentos, octo-*

ginta

ginta quatuor. Dicit enim diserte angelus: Filius, quem in vtero tuo concipies & paries, Filius altissimi vocabitur, quod est, erit Filius tuus verus, homo ex homine, & Filius Dei, verus Deus ex Deo natus ab æterno.

IIII. Regnum atq; officium Messiæ concepti: *Dominus Deus, inquit Angelus, dabit ei sedem patris ipsius Dauidis, id est, erit Rex Ecclesiæ Dauidicæ, id est, eius cœtus, qui credit promissioni factæ Dauidi de Christo, regnabitq; super domum Iacob in æternum, id est, in Ecclesia, quæ credit promissioni factæ Iacob. Est Synonymia, quia domus Iacob idem est, quod sedes Dauidis. Et regni eius non erit finis, id est, non est fatale, nec vlla temporis circumscriptio illud metietur, sed durabit in hac & in altera vita.*

V. *Vsus: Docet hoc festum, hoc ipso die impletas esse Prophetias & promissiones omnes ab initio Mundi editas, de Incarnatione Filij Dei: Ideoq; læti canimus Deo hymnum cum Ecclesia: Hæc est dies, quam*

fecit Dominus: Hodie Deus afflictionem populi sui respexit, & redemptionem misit: Hodie mortem, quam fœmina intulit, semen fœminæ fugauit: Hodie Deus Homo factus est: Id, quod fuit, permansit, & quod non erat assumsit, ἔμεινεν ὃ ἦν καὶ γέγονεν ὃ οὐκ ἦν, *vt Iustinus ait: Sum quod eram, nec eram quod sum, nunc dicor vtrunque. Ergo exordium redemtionis nostræ piè recolimus, dicentes: Gloria tibi Domine.*

Dominica quarta in quadragesima, quam nominant Lætare, in vrbe Mysna pueri, puellæq; circumferunt ex ramusculis abiegnis confectam perticam, additamentisq; alijs ornatam. Ac ostiatim canendo memoriam expulsæ mortis renouant, vt nummos colligant. Hic mos à Polonis & Silesijs, nescio, qua imitatione manauit. Hi enim eodem die gestant simulacra spectris similia, eaq; tandem in cœnum proijciunt, atq; comburunt. Quo repetunt memoria historiam confractorum & eiectorum idolorum per Poloniam & Silesiam, anno Christi 966. regnante Mieslae, quando ab

Idole-

Idolomania ethnica ad verum Dei cultum vtraq. gens conuersa est.

Festum offerendi manipulos spicarum.

Hoc die Iudæi, secundum præceptum Dei Leuit. 23. manipulum primitiarum messis ad sacerdotem attulerunt: postea metere fruges licuit.

FESTVM PALMARVM

I. *Nomen: Græcè vocatur* Βάια, *à ramis seu frondibus palmæ arboris, Iohan. 12. quòd ingredienti Christo in vrbem Ierosolymam, læta acclamatione populus gratulatus sit, & ad declarandum reuerentiam & studium suum erga venientem Messiam, ramos palmarum in viam strauerit. Etsi autem palmæ non sunt principalis pars huius historiæ de ingressu Filij Dei in vrbem sanctam: tamen inde nomen festo toti inditum est, scilicet* κατὰ μετωνυμίαν.

II. Significatio: 1. *Palma in triumphis gestabatur, & victoriæ præmium erat: sic Christo*

Christo substratæ sunt palmarum frondes, quòd victor esset peccati, mortis, diaboli, Mundi & inferni. II. Palma est insigne Ecclesiæ & omnium Christianorum.

Fortius vt surgit duro sub pondere palma:
Sic magis accrescit duris Ecclesia rebus.

Exploratur enim, probatur, confirmatur & augetur fides, patientia, inuocatio & constantia Christianorum in cruce & afflictionibus, vt quò magis premuntur, eò animosius reluctentur.

III. Vsus: Intuentes in hunc ingressum & pompam Christi triumphantis, imaginem totius gubernationis & fortunæ Ecclesiæ cernimus. Omnia enim ita composita sunt, vt mundo ex diametro quasi opponantur. Mundus expectabat Messiam magnificum & superbum: Christus verò est humilis et pauper. Mundus putabat Messiam generoso ingressurum equo: Christus verò insidet asinæ. Mundus opinabatur. Messiam habiturum comitatum potentum & optimatum: Christus verò comites sibi adungit despectos piscatores & plebeios homi-

homines. Mundus opinabatur, Messiam aucupaturum esse regiam sedem, & omnia regna sibi subiecturum: Christus verò intrat templum, & pugnat cum profanatoribus illius. Mundus sperabat, Messiam victurum esse & regnaturum: Christus verò patitur & moritur. Ita omnia Messiæ nostri facta aduersantur Mundi opinionibus, vt eludatur & confutetur omnis illius fanatica, erroneaq́; de Messia persuasio. Hanc stultitiam Christi coram Mundo diligenter nos cognoscere decet, ne à plausibili & speciosa huius Mundi sapientia decipiamur.

HEBDOMAS παθητικὴ.

I. Nomen: *Hæc septimana à passione Iesu Christi nomen accepit, eo quia in ea passionem & mortem pro reparatione & salute generis humani sustinuit, factus victima in ligno crucis, anno à natiuitate sua trigesimo quarto, Ierosolymis, 25 die Martij, id est, decimo quinto die primi mensis, iuxta Calendarium Iudaicum.*

II. Historia: προηγούμενα, *antegressa:*

Dei

Die Solis, qui est Palmarum, & vocatur Oschophoria. Item Ramalia & verbenalia. Asina insidens ingressus est urbem, & è templo eiecit vendentes & ementes, Matt. 21.

Die Lunæ rediens Ierosolymam in via maledixit ficui, & è templo iterum eiecit vendentes & ementes, Matth. 21.

Die Martis manè reuersus Ierosolymam in templo compescuit principes sacerdotum, obturauit os Sadducæis & Pharisæis, Matth. 22. Obiurgauit Scribas & Pharisæos, Matth. 23. Egressus in montem oliueti prædixit excidium Ierosolymorum, Matth. 24 et 25.

Die Mercurij docuit in templo, vesperi reuersus Bethaniam cœnauit in domo Simonis leprosi.

Iouis die, qui ex viriditate nominatus est, der grüne Donnerstag / *propter passum Christum* ἀειθαλῆ καὶ ἀείζωον, *perpetuò florentem & viuentem, secundum Theophylactum, edit Pascha vesperi cum discipulis, lauit ipsorum pedes, instituit*

cœnam

cœnam Dominicam, precatus est ardenter, sudauit sanguinis guttas, captus est proditione Iudæ. Cæterum lotio pedum duo proponit symbola: vnum fidei, alterum dilectionis: Fidei quidem, cùm inquit Christus ad Petrum: Si non lauero te, nihil habebis mecum commune. Est enim fidei statuere, nos ablui à sordibus peccati, & iustificari non posse, nisi per solum sanguinem Christi: Dilectionis verò, cùm ait: Exemplum præbui vobis, vt sicut ego feci vobis, ita & faciatis vos, id est, mutuo amore vos complectamini, alius infra alium sese abiciat, alter alterius errata sanet, corrigat, et minutias condonet.

Dies paraſceues.

Die Veneris illusus, conſputus, flagellatus, cæsus, accusatus, damnatus, cruci affixus, mortuus et sepultus est. Hæc dies vocatur σωτήρια, salutaria. Item Paraſceues dies, der Charfreytag/ *quòd alius pretioſior & ſelectior dies inde ab initio Mundi non illuxerit, quàm is, in quo Filius Dei ſanguine ſuo pro peccatis noſtris effuſo in cru-*

in cruce pependit, factus maledictum pro nobis, vt nos maledictos à morte & damnatione æterna liberaret.

Sabbathũ magnum dicitur propter duplicem celebritatem, Paschatis scilicet & Sabbathi.

Dies Sabbathi appellatur Sabbathum magnum siue sanctum, quo Christus quieuit in sepulcro.

Sunt autem causſæ quatuor, propter quas Christus in crucem actus, mortem tam tetram obyit.

I. Vt factus maledictum nos à Legis maledictione redimeret, Sicut scriptum est: Maledictus, qui pendet in ligno.

II. Vt exaltatus in cruce nos omnes ad se traheret, sicut Iohannis 12 scribitur.

III. Vt vindicaret aërem à potentia damonum, vt Epheſ. 6 dicitur.

IIII. Vt historia congrueret cum typo anei serpentis, in deserto erecti, Iohann. 3. Harum causſarum tres recenſet Athanaſius in lib. de incarnatione Verbi.

PASCHA.

I. Nomen: Paſcha Hebræis transitum ſignificat, quòd interfector primogenitorum

Digitized by Google

rum transſyt ſiue præteryt Iſraëlitarum ædes, ſanguine agni conſperſas, Exodi 12. Græcè πάχα, non à πάχω patior, vt quidam volunt: ſed ab Hebræo phaſe, Germanicè Paß/ *quòd tranſiuit Dominus per Aegyptum. Vnde eſt verbum* Paſſieren/ *Item* Paßwort. *Germani vocant* Oſtern/ *ab hoſtia fortaſſe, quæ eſt Chriſtus, pro peccatis noſtris immolatus, 1 Corinth. 5. Vnde Paſchales oblatæ, vel* βλυτῖνοι, *ſiue* πίλανοι, Oſterfladen/ *ab offerendis hoſtijs dictæ. Alij* Oſtern *dici putant, pro* Vrſtand/ *Quanquam Oſt, Germanis eſt oriens, vnde & Auſtria* Oſterreich/ *nomen accepit, quòd in Oriente, vel orto Sole ſurrexit Chriſtus, Paſcha noſtrum.*

Secundò, Paſcha ſignificat etiam feſtum ipſum, quo ritus agni Paſchalis celebratur, vt Matth. 26. Poſt biduum Paſcha fiet, id eſt, dies feſtus Paſchatis.

Tertiò, denotat annum Paſchalem, vt mactare Paſcha, *Exod. 12. Item comedere Paſcha. Eadem ſignificatione accipitur pro Chriſto ipſo mactato, & victima facto pro peccatis noſtris,*

II. *Tempus: Primum Paſcha celebratum eſt, anno mundi 2454. ante Chriſtum natum 1517. die decimo quarto Aprilis, quo Angelus Domini primogenita in vniuerſo regno AEgypti occidit, ſolis verò Iſraëlitarum domibus, ſanguine mactati agni inſcritis, pepercit. Deinde multis annis intermiſſum denuo celebratum eſt, in caſtris ad Ierichuntem, eodem die menſis primi, anno mundi 2494. Et iterum regnante Ioſia, anno mundi 3331, 2 Reg. 23. Item: Poſt reditum ex Babylonica captiuitate, templo iterum extructo & dedicato, anno mundi 3457. primo Eſræ 6. die eodem.*

III. Collatio Paſchatis Iudæorum & Chriſtianorum. *1. Iudæi habuerunt agnum typicum: Chriſtiani verò habent agnum verum, id eſt, Chriſtum ipſum, quem agnus Iudæorum adumbrabat. 2. Iudæi celebrabant Paſcha, vt recordarentur glorioſæ liberationis & eductionis ex AEgypto, & tyrannide Pharaonis: Chriſtiani verò celebrant, vt memoriam liberationis ex faucibus mortis, diaboli & inferni per mortem & reſurrectionem Chriſti gratis*

tis animis repetant. 3. Iudæi vescebantur in Paschate panibus azymus seu infermentatis, vnà cum lactucis amaris: Christiani verò celebrant Pascha in synceritate & veritate, id est, fide syncera & inuocatione non ficta, sub cruce tamen & afflictione. 4. Iudæi lumbis accincti, & calceamentis induti, baculumq; manu tenentes Pascha edebant, mox iter ingressuri in Palæstinam promissam: Christiani tanquam aduenæ & peregrini in hoc Mundo totis animis spectant ad eam patriam, quæ parta est nobis per Christum in cœlis. 5. Iudæi postes suarum ædium aspergebant & muniebant sanguine agni aduersus interfectorem: Christiani aspersuntur & mundantur sanguine Christi à peccatis.

6. Iudæi fasciculo hyssopi, in sanguine agni tincto, vtebantur tanquam instrumento ad aspergendum postes suos: Christiani vtuntur verbo & Sacramentis tanquam mediis ad consequendum remissionem peccatorum, iustitiam & vitam.

RESVRRECTIO CHRISTI.

I. *Vocatur Pascha Christianorum etiam resurrectio Domini nostri Iesu Christi,* ἀνάστασις τοῦ κυρίου, *eò quod in hoc die, victo peccato, à morte, inferno & diabolo, diuinitus recepta vita, ex morte resurrexit.*

II. *Tempus: Resurrexit Christus die tertia, quæ est nostra Dominica dies. Nam die Parasceues, qui est noster dies Veneris, hora sexta crucifixus est: nona, quæ est nostra tertia pomeridiana mortuus, & adhuc ante Solis occasum sepultus: Hic fuit dies primus, quo iacuit in sepulcro, circiter horas tres. Nam hora sexta crucifixus est, nona expirauit. Iudæi enim incipiunt diem à vespera, adducti autoritate Mosis, qui ait, vespere & manè factum esse diem.*

Secundus dies fuit Sabbathum magnum, vel dies Saturni, vt nos vocamus, incipiens ab occasu Solis in die veneris, & iterum desinens in occasu Solis, die Saturni. Hoc toto die quieuit in sepulcro Christus.

Tertia

Tertia dies incepit ab occasu Solis in die Saturni, & appellatur prima Sabbathorum, hoc est, septima: In hoc surrexit Christus manè circiter horam tertiam illucescente Dominica die.

III. Locus: Resurrexit in horto, vt vitam restitueret in eo ipso loco, vbi priùs amissa erat, nempè in horto Paradisi, qui absq; dubio fuit in eodem loco, vbi mortuus, sepultus & excitatus est Christus.

IIII. Modus resurrectionis: Angelo descendente de cœlo, factus est terræ motus, & statim dux vitæ mortuus prodijt rediuiuus, simulq; cum eo egressi ex monumentis sancti, venerunt in ciuitatem sanctam. Astiterunt etiam Angeli candidis vestibus, hac ipsa forma lætitiam ostendentes, tùm voce etiam mulieribus resurrectionem Messiæ nunciantes. Ignatius Epist. 2. Descendit ad infernum solus, regressus autem est cum multitudine.

Ignat. Epist. 2. Descendit ad infernum solus, regressus autem est cum multitudine.

V. Definitio: Resurrectio Christi est illustris & lætus in vitam reditus: victa

morte, diabolo & inferno, tum deleto peccato, & patefacto omnibus credentibus aditu ad vitam ac latitiam sempiternam.

VI. Causſa: *Est Deus & diuina Christi potentia. Nam & Deus resuscitauit Christum à mortuis, Actor. 3. & ipsemet Christus potestatem habuit ponendi animam & rursum assumendi, Iohan. 10.*

VII. Effectus seu fructus resurrectionis Christi. 1. *Est Iustitia, vita & salus nostra, Rom. 4. Christus propter peccata nostra traditus est, & propter iustificationem nostri ex morte resurrexit. 2. Resuscitatio corporum nostrorum in extremo die. Tanta enim est societas atque coniunctis corporis & membrorum, vt quod vni accidit, omnibus commune sit. Cum igitur Christus caput nostrum surrexerit: fieri non potest, quin nos vnà cum eo ad societatem vitæ atque lætitiæ æternæ aliquando excitemur, 1 Cor. 15.*

VIII. Testimonia resurrectionis: *Primùm omnium præbuit se conspiciendũ Mariæ Magdalenæ peccatrici, vt ostende-*

ret

ret reipsa, sua beneficia ad peccatores pertinere. Deinde iterum apparuit mulieribus, vt, quemadmodum per mulierem peccatum & mors cœperat, sic per mulieres primum nuncium de instauratione vitæ perferretur: tum Petro etiam apparuit, quippe qui & ipse propter lapsum teterrimum imprimis consolandus erat, vt omni ex parte declararet, se ex morte resurrexisse, vt peccatores saluos faciat.

IX. Dies resurrectionis vocatur Dominica, à Domino nostro Iesu Christo, vero Sole iustitiæ & vitæ, omnisq; salutis autore & principe. Est enim vere dies ille, quem fecit Dominus, in qua latari nos decet, secundum Psalmum 118, quem hic Synodus Cæsariensis accommodauit.

APRILIS.

Aprilis absq; dubio ab aperiendo terram nomen adeptus est, quasi Aperilis, quod in eo recluſa tellus germinare incipiat.

Kalendis Aprilis peculiare sacrum Veneri factum est, quo mulieres oblatis rosis & alijs floribus, redimitæ myrteis sertis lauari consueuerunt.

AMBROSIVS, IIII April.

Ambrosius ex politico gubernatore Liguriæ factus est Episcopus ecclesiæ Mediolanensis, sanctus & integer. Cùm enim Mediolanum venisset, vt tumultum sedaret, qui inter orthodoxos & Arianos erat ortus, ob Episcopi noui electionem: mirifico omnium bonorum consensu Episcopus est designatus, anno Christi 372. Hoc igitur munere functus est vsq; ad Christi annum 398 tanta grauitate & constantia, vt à recta religione atq; conscientia transuersum vnguem non discesserit. Nam iussus à Valentiniano Imperatore | Arianis templum concedere, quoad potuit, ei restitit, & quiduis pati maluit, quàm hæreticis templum Domini tradere, ideirco in exilium eiectus est. Theodosium verò ob trucidatos septies mille homines, in Thessalonicensi seditione, templum ingredi passus non est, nisi priùs profusis lacrymis veræ pœnitentiæ signa dedisset. E vita sic cessit, vt magnum desiderium sui apud populum Christianum reliquerit

Domi-

DOMINICA IN ALBIS vel quasimodogeniti.

Dominica prima post Pascha vocatur Dominica in albis, videlicet ab illis vestibus lineis, quibus induti erant baptizati, vt testimonium essent Baptismi eorum & regenerationis: perinde vt hodie infantibus baptizatis indusia alba linea injicimus. Sunt enim in prima Ecclesia baptizati tam adulti, quàm infantes, quotquot Christum amplectebantur, & Ecclesiæ membra fieri volebant.

Quasimodogeniti verò appellatur hæc Dominica à textu, prima Petri secundo: Quasimodogeniti, vel, vt habet noua translatio, vt modò nati infantes, lac sermonis syncerum expetite, vt per illud adolescatis. Qui textus de spirituali nouitate vitæ concionatur.

Sequentes Dominicæ vsq; ad pentecosten similiter à textibus Bibliorum, qui canuntur in singulis Dominicis, & introitus vocantur, nomen habent, vt secunda Dominica, Misericordia Domini plena est

terra, ex Psalmo 33. Tertia, Iubilate Deo omnis terra, ex Psalmo 66. Quarta, Cantate Domino canticum nouum, ex Psal. 98. Quinta, vocem iucunditatis annunciate, ex 64 capite Esaiæ, secundum autorem rationalis diuinorum officiorum. Sexta, Exaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te, ex Psalmo 27.

MEGALESIA SIVE MEgalensia, V Aprilis.

Magna mater siue mater deûm, terra est.

Megalesia siue ludi Megalenses caussa magnæ matris deorum celebrabantur, à qua etiam nomen habent.

FORDICIDIA, XV Aprilis.

I. Fordicidia nomen habent à cæsa vel immolata forda, hoc est, boue grauida, vt fœcunditas pecudum à Deo impetraretur. 2. Origo festi inde est, quòd in magna sterilitate consultus Faunus à Numa respondit, placari deam Tellurem non posse, nisi duabus hostijs, quas vna iuuenca daret: hac

hac verò grauidam bouem significari, Aegeria nympha censuit; Vnde Ouid.

Forda ferens bos est, fœcundaq; dicta ferendo:
Hinc etiam fœtus nomen habere putant.

CEREALIA, XXI April.

Cerealia, à Cerere dicta, ludi fuerunt, quibus matronæ in veste alba luctum Cereris repræsentârunt, quando raptam Proserpinam cum face quæsiuit.

PALILIA, XXI April.

Palilia à Pale dea nominata sunt, cui incunte vere pro partu quadrupedum agricolæ, pastoresq; grati sacra fecerunt. Ceremonias & preces Pali deæ adhibitas copiosè describit Ouidius. Pithœgia, πιθοιγία, festum erat Bacchi, in quo dolia primùm relinebant, & vina noua gustabant. Vinalia, dies festus, quo vinum nouum Veneri libabant. Pales Dea Pastorum.

GEORGIVS, XXIII April.

1. Nomen: *Georgius Græcè γεωργὸς, Latinè agricola, colens terram & gentem.*

Germa-

Germanicè, ein Ackerman oder Pfleger des Landes vnd der Leute.

II. Genus vitæ: Primùm fuit tribunus militum ex Cappadocia oriundus. Postea Martyr factus est sub Diocletiano Cæsare, cùm gentium deos acriter impugnàsset.

III. Vitæ exitus: Captus à Deciano vngulis acutis compressus est, mox calce ardente adustus, & fidiculis rursus distractus, & mucronibus tandem membratim dissectus est. Inter hæc tamen tormenta, quamuis sæua, animo neq; submisso, neque abiecto visus est esse: sed generosam constantiam vsq; ad extremum vitæ spiritum retinuit. Nicephorus Ecclesiasticæ historiæ lib. 7 cap. 15.

IIII. Commentum de Georgio equite cataphracto: *In Libyæ vrbe Silea magnum periculum fuit à Dracone ingenti, qui in vicino stagno viuebat, & sæpenumero aggressus vrbem, halitu suo venenato afflauit ciuibus pestem & morbos fœdos, quibus multi eorum extincti sunt. Etsi autem armati ciues sæpius eum arcere conati sunt: tamen*

tamen vi & afflatu eius maligno repulsi in seruitutem tristem redacti sunt. Ex quo tandem euenit, vt pactionem facere cum eo coacti sint, in hunc modum, vt singulis diebus duas oues illi vorandas traderent. Quod cùm ad tempus bene longum esset factum: ad extremum penuria ouium tanta extitit, vt exoluere promissum amplius non possent. Iccirco in pactionem denuò venerunt, placuitq́, vt in singulos dies vnam ouem cum homine vno darent. Hîc vt iure res tota agi videretur, sors coniecta est quotidie, & quemcunq́ illa tetigit, ad Draconem eductus est cum oue. Accidit autem, vt aliquando etiam ipsa regis Filia, eleganti forma & moribus, eadem sorte delecta, ad Draconem à parentibus, cognatis, amicis & ciuibus cum ploratu & luctu magno educeretur. Sed cùm adhuc in via essent, opportunè aduenit Georgius eques cataphractus, animum fortem, acremq́ præ se ferens. Hic audito luctu & squalore turbæ, statim, quid rei esset, quæsiuit? Respondérunt ei, duci ad Draconem vnicam regis

filiam.

filiam, impendere q; adeò ciuitati vniuersæ exitium à Dracone, cuius sæuitia ac voracitas expleri non posset, nisi totam ciuitatem exhausisset & absorpsisset.

Huius igitur misertus Georgius, iussit bono esse animo, solatium atq; opem præsentem pollicens: mox incitato in Draconem cursu irruit. Is verò, vt antè, sic tunc etiam nihil facilius sibi fore existimans, quàm vim atq; impetum eiusmodi equitis sustinere, eumq; cataphractum deuorare, accurrit præda auidus, rictuq; immani mortem minitans. Georgius autem animo præsenti ac lxto hastam contorsit, belluamq; confodit, & ciuitatem internecione liberauit. Hoc spectaculo iucundissimo recreati ciues, victorem Georgium cum lætitia & gratulatione maxima exceperunt, in vrbem duxerunt, & omnia studia atq; officia veræ pietatis & gratitudinis cumulatè tribuerunt.

V. Allegoria: Georgius est imago Christi: Draco seu serpens est diabolus, immani sæuitia atq; tyrannide grassans in genere humanum

humano, nunc hunc, nunc illum deripiens & deglutiens. Ciues vrbis Sileæ imago sunt totius gentis humanæ, quæ direptioni satanæ relicta est, nec se tueri vllo pacto potest: sed partim afflatu eius corrumpitur, vt morbos omnis generis concipiat, partim vi & tyrannide manifesta in exitium præcipitatur. Solus Christus ea est potentia, vt in diabolum, infernumque insiliens robur eorum omne comminuat atque frangat. Huic igitur σωτῆρι, liberatori nostro gratias debemus agere sedulò, veraq; pietate & gratitudine eum colere & celebrare.

VII. Est etiam Georgius imago principis & patrisfamilias boni, curantis, alentis & defendentis suos in laboribus, fame, & periculis. Draco enim significat varias miserias, pericula, pestem & calamitates cæteras, quæ in gubernatione & œconomia incidunt. Cum his assidua est lucta atq; certamen gubernatori, vt ijs depulsis quietem, otiũ, pacem, tranquillitatẽ & commoda corporis atq; animæ suis restituat ac tueatur. Debetq;

betq; adeò gubernator quilibet benevolentia, fide, atq; amore tanto fidei suæ commissos complecti & tueri, vt nullum periculum aut incommodum proprium defugiat, sed se suaq; omnia saluti subditorum postponat.

MARCVS EVANGELISTA, VII Calend. Maij.

I. Nomen: Marcus Latinam quidem formam habet, sed Hebraicum tamen nomen esse apparet: Latinè idem, quod Politus significat, Außgebutzt / *à radice Marack, absterſit vel poliuit.*

II. Genus vitæ: Discipulus Petri fuit & aliquando comes Pauli, Actor. 15. Itaq; didicit à Petro Euangelium, quod bona fide alios vicissim docuit, atq; descriptum post se reliquit.

III. Acta: Euangelium scripsit in AEgypto, vel à Petro iussus, vel à fidelibus rogatus & vix persuasus, anno decimo post ascensionem Christi in cœlum, secundum Theophylactum. Eusebius in fine libri tertij historiæ Ecclesiast. ait: Marcus quidem, tanquam interpres Petri, quæ memi-

nisset,

nisset, ea accuratè perscripsit, non eo tamen ordine, quo dicta factáque sunt à Domino. Neq; enim Dominum audiuit, neq; est secutus, sed Petrum deinde. Quamuis interim Epiphanius dicat, Marcum fuisse vnum ex discipulis Iesu 72. lib. 2. Tom. 1. contra hæreses. 2. Missus in AEgyptum Alexandriæ Euangelium docuit, & Ecclesiam Iesu Christi constituit. Inde ad Cyrenæos & Pentapolitanos progressus Christi verbum annunciauit, & tandem Alexandriam reuersus est. Nicephorus lib. 2. cap. 43.

IIII. Vitæ, mandatiq; muneris curriculum confecit, octauo anno Neronis. Cùm enim in idolorum cultores inueheretur, impetum in eum fecerunt illi, funibus pedes eius constringentes, crudelemq; in modum per vrbem raptantes, tum saxis corpus allisserunt, conscideruntq;, vt sanguis abundè profluueret. Postea carceri incluserunt, vbi Dominus ei apparuit, qua gloria ipsum ornaturus esset, annuncians. Tandem ex carcere extractus, per plateas immaniſ-

simè raptatus expirauit. Nicephorus lib. 2. cap. 43.

Marcó tribuitur leo, catulos mortuos rugitu excitans, quo resurrectio Christi declaratur.

V. Marcesy panes: Anno milleſimo, quadringenteſimo triceſimo octauo, tanta annonæ difficultas, reiq; frumentariæ inopia fuit in Turingia, vt vnum panem fiorено emere neceſſe fuerit, ſecundum Chronicon Montis Petri, Erfurdiæ. Huius difficultatis memoria vt retineatur, quotannis in die Marci, panes minuti, inſtar orbiculi exigui, vel oui ferè rotundi, Erfurdiæ pinſuntur, qui ob id ſancti Marci panes vocantur, quorum vnus tribus nūmis emtus eſt. Fuit autem famis tanta ſæuitia in iſto tempore, vt homines in vicis plateiſq; paſſim concidentes mortui ſint, nonnulli gramen, aut fœnum, aly ſtipulam in ore habentes. Cumq; cœmeteria non ſufficerent, foueæ quinq; ingentes extra vrbem, in loco eo, qui Schmedeſted appellatur, factæ ſunt, in quas proiecta ſunt cadauera hominum 8000. Robiga-

ROBIGALIA, XXV Aprilis.

Robigalia & Ambarualia, da man mit Creutzen vmb das Feld gehet.

Robigalia à Robigo Deo dicta, cui hoc die oblata sunt exta ouis et canis cum thure et vino: vt rubiginem à segetibus et arboribus auerteret. Vide Taubmann. in I. Georgic. v. 150 & 345. pag. 129 & 148.

FLORALIA, XXVIII Aprilis.

Lustrationis & purgationis aruorum caussa.

Flora Dea florum fuit, cui hoc die sacra sunt facta, vt fruges, arbores et vites bene prospereq; florescere sineret. Ouidius: Mille venis varijs florum Dea nexa coronis. Hunc ritum imitatur pontificia Ecclesia, cùm lustrat campos, gestans statuas siue imagines sanctorum, adhibitis cantionibus.

MAIVS.

Maius à Cymbrica siue Germanica voce May *quæ idem quod frons seu vigor plãtæ significat, nomen habet, autore Coropio Becano. Mihi verò contra* May *à Maio*

nominari videtur. Maij enim mensis appellatio antiquior est multò, & ante conditam vrbem etiam in vsu fuit. Rectius igitur est, Maij nomen à Maia Mercurij matre deducere, cui hoc mense sacrificatum est.

PHILIPPI IACOBI, Calend. Maij.

I. Nomen & Patria: Vox Philippi Graeca est, Latinè idem quod studiosus rei equestris sonat, ein Reisiger. *Fuit oriundus ex oppidulo Bethsaida, quae Latinè est domus venationis ad lacum Genezareth: quod oppidum Philippus tetrarcha ampliatum postea vocauit Iuliadem à Iulia Augusti coniuge. Caeterùm cùm Iudaeus patria fuerit Philippus, mirum fortè alicui videtur, vnde hoc Graecum nomen illi sit inditum. Sed expediri hoc facilè potest: Nam infusi in Iudaeam Graeci & Romani, linguae confusionem importârunt, vt non tam Hebraicè, quàm Graecè & Latinè tunc locuti sint Iudaei: quamuis ante subactam à Romanis Iudaeam*

am etiam propter crebra cum Græcis commercia, sermo Græcus & notus & familiaris fuerit Iudæis, sicut etiam Dialectus Syra & Chaldæa.

II. Professio seu vitæ genus: Vocatus est à Christo ad munus Apostoli, Iohan. 1. Fuit igitur professio eius, docere Euangelium de Christo crucifixo & resuscitato.

III. Acta: Iohan. 6. Interrogatus à Christo in monte ad mare Tyberiadis, vnde & quomodo tanta multitudo hominum, nempe quinquies mille viri, præter mulieres & pueros, possent pasci: nimis exiliter ad calculos rem reuocauit, conferens ducentos denarios, siue 25 Ioachimicos, id est, septies mille ducentos numulos nostrates, cum quinq; millibus virorum. Vnde tandem subductis rationibus summam fecit computationis, vix vni viro frustum panis numuli nostratis cum dimidio dari posse. Est autem Philippica hæc supputatio memorabile exemplum humanæ ratiocinationis, sapientiæ & solicitudinis de victu, quem ni-

mis solicitis computat articulis: quasi saturari nemo possit, nisi sufficiens præsto sit pabulum panis: cùm tamen non tam panis sit, aut triticum hoc, quod oculis nostris cernimus & colligimus, quo pascimur, quàm sanctum Dei verbum et benedictio Christi. Hæc nutrit, hæc alit & seruat, vt animam ipsam, sic etiam multò magis hoc fragile corpus, quod circumferimus. Ioh. 14. Philippus rogauit Christum, inquiens: Domine ostende nobis Patrem: ad quod respondit Christus, molli brachio eum obiurgans: Tanto tempore vobiscum sum, nec dum cognouistis me. Philippe, qui me videt, videt & Patrem, id est, non debes aliter cogitare aut sentire de Deo, quàm verbum, quod ex me audis, docet: huic qui credit, ille essentiam & voluntatem Dei nouit. Post Christi resurrectionem prædicauit Euangelium in Phrygia.

IIII. *Mors. Plerique in crucem illum esse actum, & lapidibus in ea necatum credunt, anno Christi 53. Alius præter hunc fuit*

fuit Philippus, cognomento Euangelista & Diaconus, Actor. 21. Vnus scilicet ex septem Diaconis, quos bonæ notæ & perfectæ pietatis atq; fidei fuisse homines, ex Stephani historia liquet. Hic in dispersione discipulorum, causſa persecutionis, in Samariam peruenit, ibiq; doctrina Euangelij multos erudijt & baptizauit. Edidit etiam miracula, eiecit spiritus immundos, sanauit claudos & paralyticos: tum Simonem magum à præstigijs & imposturis ad fidem in Christum conuertit, baptizatumq; sibi adiunxit. Admonitus ab angelo Gazam profectus est, & in itinere Aethiopem, Candaces, reginæ Aethiopum, thesaurarium, per prædicationem de Christo conuersum baptizauit. Mox à spiritu, Aethiopem animaduertente, abreptus est. Tandem Cæsaream venit, vbi Paulum hospitio recepit, & ad exitum vitæ vocatus placidè obijt. minore, fratre Domini, & Solymoz Epō

De Iacobo pòst seorsim dicetur.

VVALPVRGIS.

Est idem etiam dies sacer sanctæ virgini, quæ appellatur VValpurgis, Germanica, vt videtur, voce à sylua & pyrgo, id est, arce. Hæc fuit Abbatis cœnobij virginum ad vrbem, Eistet *in Bauaria, ordinis Benedicti.*

PHILIPPVS MELANCHTHON.

Reducit nobis idem dies memoriam Philippi Melanchthonis præceptoris communis, Germaniæ luminis, diuinitus ad renouandum & perpoliendum artium, linguarum, & verbi diuini doctrinam excitati.

I. Natiuitas: Natus est anno 1497. Ianuarij die 16. Brettæ in Palatinatu, circiter horam septimam matutinam.

II. Studia: Anno ætatis suæ 12. in Academiam Heidelbergensem assciptus, literas ibi discere cepit, & 14. anno Bacularij, decimo septimo verò, magistri gradum assecutus est.

III. Acta: Anno 1518. VVitebergam vocatus

catus, literas bonas docere aggressus est, & rudem illam integramq; Academiam admirabili solertia, incredibili alacritate, & admirabili prorsus interpretandi explicandiq; literas Latinas & Graecas, artes & Theologiam dexteritate perspicuitateque, cum laborum insigni tolerantia, & diuino inprimis successu illustrauit, ornauit, & longè maximam clarissimamq; effecit.

IIII. Scripta: Reliquit post se ingenij monumenta, omni aetati & ordini discentium & docentium apprimè vtilia & necessaria. Si primas artes cognoscere cupis: praestò sunt huius viri Grammatica, Dialectica, Rhetorica, quibus tanquam alis quibusdam prouehi, & tanquam ducibus progredi feliciter poteris. Si superiorum disciplinarum notitiam expetis: in medio sunt eiusdem Ethica, Physica, & commentarij, vniuersum Ciceronianae & Aristotelicae doctrinae succum & vsum declarantes. Si eloquentiae Latinae & Graecae ardes cupiditate: via tibi triplex per Philippum patefacta est. Primum quidem per praecepta in artibus

dicendi expoſita. Secundò per Scholas omnem penè Ciceronis & Demoſthenis eloquentiam explicantes. Tertiò per exemplorum copiam, quæ in orationibus & tot editis ſcriptis extant. Si aditum ad ſalutarem Theologiæ ſcientiam quæris: in promtu ſunt Loci communes, & tot luculenti commentarij Propheticorum & Apoſtolicorum ſcriptorum: vt nulla pars doctrinæ Chriſtianæ, nulla quæſtio, nullum controuerſiæ certamen incidere poſſit, cuius non erudita & diſerta interpretatio inde peti poſſit. Methodi equidem artifex tantus fuit, quantum nulla ætas tulit, neq; ſecula futura ferent. Extant eius definitiones plures & meliores in Theologia & Philoſophia quàm aliorum Theologorum & Philoſophorum omnium, ſi vndiq; exquiſitæ, collectæ & accerſitæ comportentur.

V. Dona Deus contulit in hunc virum tanta, vt miraculum ferè noſtri ſeculi habeatur. Voluit enim eum eſſe organum, per quod opus illud maximum efficeret, ac-

cen-

cendendi lucrem verbi sui, & excitandi omnium artium & eloquentiæ studia.

VI. Virtutes: I. Arsit incredibili desiderio & cupiditate discendi docendiq; : vt eo nomine ad Erasmum aliquando scripserit Lutherus, vt ad curam valetudinis hortaretur Philippum, & ab intempestiuis lucubrationibus abduceret.

II. Humanitas tanta fuit in hoc viro, vt cum literis humanioribus ipsam quoque humanitatem importasse in Scholas & Academias visus sit, eamq; discedens à nobis secum penè omnem abstulerit.

III. Moderatione præditus fuit excellente, vt nihil dixerit aut fecerit iracundè, nihil intemperanter, nihil temerè. Testis est Ferdinandi Imperatoris vox, qui dixisse fertur: Huius viri consilia semper fuerunt moderata. Et notum est Erasmi elogium, quod affirmat, fatalem quandam fuisse in Philippo gratiam, vt bonis omnibus esset gratissimus, nec hostibus etiam ipsis admodum inuisus.

Plena est consolatione, atq; adeò etiam adm-

admiratione digna eius bonitas & moderatio, qua erga studiosos vsus est, quos non solùm paterno animo ad audiendum Latinorum & Græcorum autorum explicationem hortatus est, sed precibus etiam ab illis contendit, & per Dei gloriam obtestatus est, vt plus temporis atq. operæ in his sapientiæ atq. eloquentiæ Latinæ ac Græcæ studijs ponerent. Quod vel ex vno hoc illius scripto publico, quod proposuit, intelligi potest. Cuius exemplum subijcio, vt solatio esse possit docentibus literas hac & sequentibus ætatibus, quibus magis indies doctrina liberalis contemnitur atq. reijcitur.

PHILIPPVS MEL. studiosis S. D.

DEO volente hodie hora prima incipiam iterum enarrare quintum Ethicorum Aristot. propterea quòd is libellus vtilitate præstet cæteros, & vt videtur, etiam difficultate. Cras hora prima Sophoclis Antigonem incipiam interpretari. Asscriberem etiam adhortationem, si quid

si quid in tanta ingeniorum ferocia me profecturum arbitrarer. Tantùm igitur quibusdam melioribus gratias agendas esse duxi, quòd suo officio ornarunt has literas. Eaq; in re iudico eos de Repub. & bene & præclarè meritos esse, cuius interest, vt conseruentur hæ artes. Contitescerent autem in hac schola, & in his gentibus, si nos prorsus desereremus. Itaq; auditoribus nostris Reipub. nomine gratias sic publicè agere volui. Heu dolendam vicem literarum ac bonarum artium, quæ non solùm iacent spretæ, sed etiam in odio sunt, & quidem apud illos ipsos, qui doctrinæ titulo se ad vulgus venditant. Oro autem moderata propter Deum ingenia, vt Reipub. causa hæc studia diligentiùs colant. Nam Reipub. opus est linguarum & elegantiæ doctrina. Adhæc Ethice & mores ad suauitatem traducit, & ad maximas artes vtilissimas præparat studiosos. Si quos hæc ratio non mouet, hoc saltem moueat, quòd propter Deum se rogari ad audienda ista intelligant. Calendis Iulij.

IIII. Liberalissimè communicauit tàm doctrinam & operam, quàm facultates suas.

Iuæs. Reprehensus aliquando ab amico, quòd largius daret peregrinis & hospitibus, respondit: ξείνια τῶν παὶ λαβών; ξείνια τῶν παὶ δοθέι: *Quo significauit, ob eam causſam se accipere, vt alijs dare posſet.*

V. Alienus fuit ab omni auaritia & ambitione, de dita opera fugiens omnem splendorem & luxum in mundo vſitatum.

VI. In docendo & scribendo secutus est orationis genus purum, temperatum, æquabile, perſpicuum: & vt pectus eius nulla maleuolentia fuit suffuſum: ſic oratio quoq; pigmentis fucoq; omni caruit. Hoc igitur genus dicendi poſt Tullianam elegantiam in docendo & diſputando imitari maximè conuenit. Et quotquot hodie ſcribunt et docent perſpicuè atq; diſertè, multum ſe ex Philippi fontibus hauſiſſe fatentur.

VII. Pater fuit verè φιλόσοφος, *non in ſuos tantùm ex ſe natos, ſed in omnes ſtudioſos beneuolentiam et fidem nauans: vt verè in eum conueniat illud Homeri:* πατὴρ ὡς ἄπιος ἦεν. *Et quod de Antonio Pio ſcribit Dio:* οὐδενὶ τραχὺς, οὐδὲ φορτικὸς, ἀλλὰ

ἀλλὰ πρὸς πάντας χρηστός τε καὶ ἥμερος nemini asper aut molestus, sed erga omnes benefacus & lenis erat. Verbo & obiurgatione paterna, sæpe etiam sublata manica, plus effecit apud suos, quàm alij minis, impressione & violentia. Et mirum est, tantum valuisse paternam autoritatem huius viri in regenda tanta studiosorum multitudine, vt si nunc decem aut triginta, qui cæteros anteire autoritate putantur, omnes vires suas conferant, omnesq; neruos contendant, æquare vnum Philippum non queant.

VIII. Certamina. 1. Profligauit ex Scholis & Ecclesia cœnum barbaricum, quo omnes disciplinæ erant contaminatæ. 2. Explosit Sophisticen, & verum vsum artium ostendit. 3. Pugnauit cum hæreticis & Pontificijs, eosq; illustribus scripturæ testimonijs, & erudita collatione testimoniorum, φράσεων et verborum biblicorum refutauit.

Colloquijs plerisq; religionis caussa susceptis non solùm interfuit, sed magna etiam ex parte præfuit, Marpurgi anno 1529.

Luthero

Luthero cum Zuinglio disputante, ipse cum Oecolampadio disserui: & quidem in aliis articulis omnibus inter vtriusque partis Theologos conuenit, excepto vno de cœna Domini. In conuentu Augustano, anno 1530. capita doctrinæ repurgatæ scripsit, quæ Augustanæ confessionis nomine extant, nec multò post Apologiam adiunxit. VVormatiæ anno Christi 1540. cum Iohanne Eccio per triduum contulit de peccato originis in Baptizatis remanente, sed interruptum est colloquium, Cæsaris mandato. Ratisbonæ anno 41. continuauit cum Eccio collocutionem de religione, & nonnulli quidem articuli controuersi sunt conciliati, quidam verò relicti, & in tempus aliud reiecti. Iterum VVormatiæ anno 47. cum delectis pontificijs agere cepit de Ecclesiasticis controuersijs: sed abruptum fuit colloquium dissidentibus inter se Theologis, quos coniunctissimos esse decebat.

De prouincialibus Synodis & deliberationibus, quibus affuit, commemoratione dignum est, quod Torgæ accidit. Ibi enim

cum

cùm de negotio maximi ponderis atq; momenti consultatio difficilis esset: animo anxio & solicito visus est esse. Interpellatus autem fortè fuit, & ex loco consilij in hospitium deductus, vnde cùm ad consilium rediret, in via, domum Diaconi transiens, matremfamilias audiuit voce præeuntem liberis suis in recitandis matutinis precibus. Hac voce mirificè delinitus accessit propiùs: & cùm paterent fores, gaudenti animo ingressus est, ac spectauit cum voluptate summa matrem, tria sancta opera vno tempore efficientem. Nam & infantem lactabat de vbere pendentem: & cum altero puero, puellâve astante preces Deo adhibebat: & manu dextera pistillum tenebat, quo cibum ad prandium apparabat. Hoc spectaculo sic incensus fuit, vt lætus exclamârit: ô sanctos labores, & preces, cœli nubes penetrantes: Nunc bene se res omnis habet: vidi, propter quos victuri simus. Alacri igitur animo ad consilium perrexit, & à Luthero, vnde tanta esset lætitia, quam vultus prodebat, in-

terrogatus, respondit, vidi iam causſæ noſtræ actores longè feliciſsimos, matrem cum liberis ſuis, altero lactente, altero ad pedes iſtius ſtante, orantem; quæ mihi oratio tam ardens fuit viſa, vt cœlum penetrârit. Non igitur dubito, quin hiſce precibus commotus Deus cauſſæ noſtræ finem optatum facturus ſit. Nec fefellit eum ſpes, ſicut euentus oſtendit.

IX. *Mors: Cum iam annos docuiſſet in Academia VVitebergenſi 42. ad exitum vitæ vocatus eſt, anno Chriſti 1560. Accidit autem ei id, quod aliis heroicis viris vſu venire ſolet, vt quò ſcripta eius ab inuidis & vituperatoribus arroduntur & carpuntur acerbiùs, eò magis emergant, & plus emolumenti vſibus Eccleſiæ & Scholarum adferant.*

LARES PRÆSTITES, Kal. Maij.

Laribus præſtitibus ara conſecrata eſt, & ſacra Bonæ deæ facta. Lares autem dij fuerunt domeſtici, pelle canina veſtiti, vt canum

canum instar terrerent alienos, & domum custodirent. Præstes verò idem est, quod præses. Inde Lares præstites dicti sunt, quasi præsides, qui domum tutam à periculo præstarent. Ouidius:

Causſa tamen positi fuerit cognominis illis,
Quòd præstant oculis omnia tuta suis.

COMPITALIA,
II Maij.

Compitalia, à Compitis dicta, sacra erant, quibus ludi per vrbem in compitis agitabantur, Laribus ac Maniæ matri Larium. Olim ex Apollinis responso pueri Maniæ mactati sunt, pro familiarum sospitate. Postea verò, puerorum loco, capita allij & papaueris sacrificata sunt.

ATHANASIVS,
II Maij.

Athanasius Alexandrinæ Ecclesiæ episcopus designatus est, anno Christi 125. eiq; vsq; ad annũ Christi 371 præfuit. Deuenit

in medium certamen doctrinæ de filio Dei cum Arianis, quorum insidijs, fraude, mendacijs, furore, & violentia quinquies in exilium electus est, tantaq; varietate fortunæ vsus, vt fabulæ similis eius vita cursus videatur: adeò nunc cedere inuidiæ, luori, amentiæ & impressioni coactus est: nunc iterum Dei benignitate & causſæ integritate ab exilio reductus, pristinam dignitatem recuperauit. Constantiæ equidem exemplum præclarum omnibus consequentibus ætatibus imitãdum post se reliquit. Post tot certamina, tamq; varias insectationes, ærumnas, & fortunæ vices tandem in tranquillitate vitam mortalem amisit, æterna potitus gloria.

INVENTIO CRVCIS,
Tertio Maij.

Anno à Christo nato trecentesimo, vicesimo quinto, Helena, Constantini Imperatoris mater, pietate commemorabili prædita, cùm de filio suo solicita esſet vehementer: nescio, qua religione permota Ie-

rosoly-

rosolymam profecta est, ad visendum locum, in quo Saluator mundi passus & mortuus esset: Cùmque eò venisset, crucem, in qua Christus pependit, præcipuo studio perquisiuit. Accessit igitur locum, qui vocatur Golgatha, multis verbis desiderium suum videndi crucem Christi declarans. Simul atque verò terram effodit, inuenit cruces tres, de quibus Christus cum latronibus duobus pependerat. Has cum gaudio magno spectauit, & in vna earum titulum hunc legit: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, ex quo crucem Christi certè cognouit. Pro hoc igitur gratias egit ardentes ei, qui in cruce pendens peccata nostra deleuit. Clauos etiam ipsos, quibus affixus fuit Christus, vnà cum cruce, secum abstulit, & ex vno quidem clauo frenum filio suo, ex altero verò coronam refertam gemmis ei faciendam curauit. Autor est Ambrosius in concione funebri de Theodosio Imperatore. Apparet autem, pio quodam studio hoc consilium de Christi cruce quærenda & extollenda

Eusebius lib. 10. cap. 7 & 8.

Eobanus l. 2 heroidum, 153.

Granatensis tom. 5 Concio. p. 328, & seq.

susceptum fuisse ab Helena. Sed postea superstitionum cumulus accessit, & aucta est in immensum penè idolatria de adoratione sanctæ crucis, & alijs commentis impijs. Inde dies hic in Calendarium est relatus, vt memoria exaltatæ crucis esset durabilis in Ecclesia Pontificia:

Læta crucis Helena reperit pia cura trophæa.

ROGATIONES.

Anno Christi 464 S. Mamertus, Episcopus Viennensis, in Gallia instituit Litanias siue rogationes ante festum ascensionis Domini, nempe à Dominica, quæ inscribitur, Vocem iucunditatis, quibus supplicat Ecclesia Deo, vt à morte subita, & ab omni infirmitate defendatur, atque hoc quidem piè fit, secundum verbum Dei. At quòd Sancti etiam rogantur, vt pro nobis apud Deum intercedant, id verò impium & abominandum est. Polydorus virg. lib. 6. Mamertus primus instituit supplicationes siue rogationes, quas Græca voce Litanias, vulgo

vulgò præcessiones vocant, vel certè intermissas renouauit. Postea Gregorius maiores litanias composuit, quæ complectuntur preces pro Ecclesiæ, Politiæ & Oeconomiæ, tum etiam priuatorum salute. Caussa impulsiua Litaniæ institutæ fuit ingens terræmotus, & luporum, aliarumq; ferarum rabies & impetus in homines passim in vrbibus, opidis, & domibus, vt habet rudimentum Nouitiorum.

ASCENSIO DOMINI, Quadragesimo die à resurrectione.

I. *Nomen Græci diem memoriæ ascensionis Christi in cœlum vocârunt* ἀναλήψιμον *assumtiuum, vt ita dicam, propterea, quòd in Marco extat:* ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν, *assumtus est in cœlum. Latini Festum vel diem ascensionis,* ἀναβάσεως *appellant.*

II. *Locus: in Bethania, id est, domo luctus, distante dimidio miliari ferme ab*

vrbe Ieroſolyma verſus meridiem, vbi ſæpe precationis & concionis cauſſa verſatus eſt Chriſtus, atq; etiam pernoctauit, imò cum morte etiam luctatus eſt, & à Iudæis captus. Hîc congregatis cum diſcipulis, de multis rebus neceſſarijs atq; vtilibus familiariter cum ijs communicauit, & tandem inſpectante cœtu frequente in cælum migrauit.

III. Tempus: A reſurrectione ad adſcenſionem dies interceſſerunt quadraginta, quibus totis amantiſſimè cum ſuis diſcipulis, & abſque dubio cum ſanctis illis patribus, qui vnà ex ſepulcris, diuinitus receptà vita, prodierant, collocutus & conuerſatus eſt, erudiens & confirmans eos in fide & doctrina, quam propagare Apoſtolum toto terrarum orbe debebant. Atſi fuit vlla vnquam in terris familiaritas, aut conuictus veræ ſuauitatis aut voluptatis plenus, hic fuit Chriſti cum diſcipulis & ſanctis è morte reſuſcitatis. Intuentes itaq; totis animis in hanc conuerſationem, viuam & genuinam imaginem ſcholæ nos

videre

videre existimemus, in qua summus præceptor Christus incredibili humanitate, sapientia & autoritate suos discipulos rudes instruxit, imbecilles erexit, & promissione Spiritus sancti, suæq; præsentiæ perpetuæ, consolationis & defensionis firmauit, nec multò pòst ad se in regnum cœleste recepturum se esse pollicitus est. Commoratus est autem tot dies in his terris, tribus potissimùm de caussis: Primùm, vt fidem Apostolorum & cœtus coniuncti planè confirmaret de resurrectione sua. Secundò, vt doctrinam de Messia, de regno eius, de resurrectione mortuorum probè illis inculcaret. Tertiò, vt initia, & quasi gustum quendam vitæ nouæ, in suo & resuscitatorum sanctorum corporibus monstraret ac præberet, quò postea alacrioribus animis Euangelium de crucifixo Christo inter gentes docerent.

IIII. Modus: Conuocatis & congregatis discipulis, visibili specie ab illis discessit, nube in cœlum susceptus. Ideo autem visibilis et corporalis fuit hæc ipsius

migratio, vt planum fieret, quòd verè resurrexisset illa ipsa carne, quam ante mortem ex vtero Mariæ assumserat, quámque post resurrectionem incredulis Apostolis contrectandam præbuerat. 2. vt eriperet Apostolis opinionem de suo regno mundano, quæ tunc prorsus euanescebat, cùm è terris in cœlum migrabat. Comites huius ascensionis absq; dubitatione fuerunt patres illi sancti, qui cum Christo vnà surrexerant. Testes fuerunt Angeli, qui spectantem & admirabundum cœtum alloquentes dixerunt: Quid admiramini? Talis omnino est reuersurus, qualem vidistis ascendentem, nempe cum corpore & anima, & ea ipsa quidem specie, qua sublatus est.

V. Consecuta: Postquam in cœlum ascendit, consedit ad dexteram Patris. Est igitur nunc verè in cœlis, id est, omnipotens est, regnat diuina potentia, omnia implens, omnia respiciens, audiens & perficiens. Sicut in titulo orationis Dominicæ antinetur. Sedere enim ad dexteram Patris,

tris, est regnare cum Patre pari maiestate, omnipotentia, & dignitate.

VI. Effectus & fructus: Primus est, recuperatio pristinæ libertatis. Secundus, reditus illustris in gratiam Dei. Tertius, defensio in periculis, tentatione, dolore, & cæteris malis. Quartus, acceptio donorum Spiritus sancti, nempe remissionis peccatorum, iustitiæ, salutis & vitæ. Quintus, perpetua præsentia Christi, sicut pollicitus est: Ero vobiscum vsq; ad consummationem seculi, Matthæi vltimo. Sextus, lætus ad nos reditus in extremo die, vt liberet ab omnibus molestijs, & abducat secum in æternam vitam. Septimus, certa spes vitæ æternæ et hæreditatis in cœlo. Quia enim Christus arrhabonem carnis nostræ in cœlum secum euexit, et arrhabonem spiritus nobis reliquit: fieri non potest, quin tota aliquando summa, id est, tota caro nostra in cœlum subducatur. Vnde Tertulliani dictum memorabile est de resurrectione carnis: Secura estote caro et sanguis, vsurpâstis et cœlum et regnum Dei in Christo.

Pen-

PENTECOSTE.

I. Nomen: Pentecoſte *nomen Græcum eſt, quo ſignificatur quinquageſimus dies, ſcilicet à reſurrectione Chriſti. Hebræi vocârunt feſtum hebdomadum, Leuit. 23. à ſeptem hebdomadibus, quæ ſunt à die oblati manipuli ſpicarum,* das wochen feſt. *Vt enim matureſcentibus iam frugibus Iudæi ex mandato Dei, quod extat Leu. 23. ex ſingulis familijs & domibus, quæ agros poßidebant, faſciculum ſpicarum afferebant ſacerdotibus ad templum: ita poſt hebdomades ſeptem, peracta iam meſſe, ad eundem modum offerebant panes, de nouo frumento confectos, vt ſuam pietatem atq; gratitudinem pro frugibus collectis erga Deum declararent. Sunt etiam quinquaginta dies ab exitu populi Iudaici ex Aegypto, vſq; ad promulgationem Legis in monte Sinai, hoc ipſo die factam, anno mundi 2453. Nobis verò Chriſtianis quinquageſimus iſte dies eſt à læta & glorioſa reſurrectione Chriſti ex mortuis.*

II. Vſus: Iudæi hoc feſto gratis animis cele-

celebrabant benedictionem Dei, in messe perceptam : tum recordabantur Legis promulgatæ in monte Sinai. Christiani verò memoriam exhibiti & effusi visibili specie Spiritus sancti in Apostolos repetunt, pro eoq; beneficio gratias Deo agunt, adorantes & colentes Spiritum sanctum, verum Deum & paracletum Christianorum perpetuum, ab eoq; se regi & foueri petunt.

III. Modus seu ritus : In veteri Pentecoste quotannis renouata est memoria promulgatæ Legis : ideoq; mel & ficus eo die comederunt Iudæi. Fuit autem promulgatio Legis valde terribilis. Nam Deus voce maiestatis plena de cœlo sonuit verba Legis inter fragores horrendos et fulmina, quibus longa montium iuga, saxa et scopuli fremuerunt. Iccirco etiam recordatio promulgatæ Legis terrorem et pauorem Iudæis incussit. Tonitrua enim et fulgura sunt testimonium iudicij Dei aduersus peccata hominum. In noua verò Pentecoste in annos singulos recordamur beneficij missi Spiritus sancti, qui non legem terribili

voce

voce edidit, sed grata & placida specie Euangelium in orbem terrarum euulgauit, per donum linguarum & ministerium Euangelij: Exhibuit enim sese Spiritus sanctus per sonum flatus vehementis, vt significaret, se per sonum seu vocem Euangelij in ministerio verbi efficacem esse, mouere et incendere corda hominum, vt verbo credant, & per fidem, salutem & iustitiam sempiternam consequantur.

IIII. Effectus: Hos nomina & officia Spiritus sancti, à Prophetis & Christo et tributa, luculentè ostendunt. Primùm nominatur παράκλητος, id est, aduocatus seu consolator, qui constanter nobis reis adest, nosq; anxios & perterrefactos metu iudicij diuini tuetur, regit, docet, consolatur & confirmat: ne vel periculi magnitudine oppressi, vel doloris acerbitate fracti succumbamus. Interpellat etiam pro nobis suspiriis inenarrabilibus, monens, quid aremus, vt Damascenus interpretatur lib. 4.

2. Appellatur Spiritus veritatis ab effe-

ctu

ctu scilicet per Metalepsin, quòd ducat nos in omnem veritatem. Iam veritas non est alia, quàm vera Dei notitia, fides & dilectio. Quocirca absq; hoc duce, Spiritu sancto, nemo Deum rectè cognoscere, aut illi fidere potest, sicut vult agnosci & coli, nempe per Filium suum, quem solum proposuit Mediatorem & propiciatorem per fidem in sanguine ipsius, Rom. 3.

3. Vocatur Spiritus gratiæ & precum, Zachariæ 12. ab effectu nimirum, per Metalepsin: Quia testatur in cordibus nostris, atq; ideo mouet nos, vt statuamus, nos esse in gratia Dei, vel, vt Paulus ait, Rom. 8. quòd simus filij Dei, & preces illi, vt liberi parentibus solent, adhibeamus.

4. Dicitur à Paulo Spiritus roboris, quòd scilicet confirmet nos contra dubitationem & metum in periculis. Item dilectionis, quòd accendat in corde dilectionem erga Deum: & propter Deum, erga proximum. Et castificationis, quòd excitet in nobis amorem & curam castitatis, compressis libidinum incendys.

5. No-

5. *Nominatur arrha seu arrhabo, quòd confirmet et obsignet doctrinam de Deo, et filio eius Iesu Christo in cordibus nostris.*

TRINITAS.

I. *Nomen: Græcè* τριάς, *Latinè Trinitas, Germanicè* Dreyfaltigkeit/ *à tribus personis scilicet Diuinitatis, Patre, Filio, et Spiritu sancto. Etsi enim vnus est tantùm Deus, vnaq; essentia diuina: tamen ea ipsa est distincta tribus personis* ὁμοουσίοις καὶ ἰσοδυνάμοις. *Quemadmodum autem ipsa* τριὰς ὁμοούσιος καὶ ἰσοδύναμος *est: ita etiam vna* λατρεία, *id est, cultu adorari et honorari debet. Qui enim honorat Patrem, honorat et Filium, et Spiritum sanctum. Vnde Esaiæ sexto Seraphim ter clamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum. Quocirca in hoc festo considerandum nobis est: 1. Quòd sit Deus. 2. Quid sit. 3. Qualis sit. 4. Quot personæ diuinitatis sint. 5. Quos cultus et opera à nobis exigat.*

II. *Quòd sit Deus, non tam rationes demon-*

demonſtrationes ex effectibus, id eſt, operibus Dei, in quæ aſſiduè intuemur, quibus quotidie vtimur & fruimur, ex quibus animum denig; & ſpiritum ducimus, extructæ docent & conuincunt, quàm ſanctum Dei verbum, in quo ſe Deus tanta perſpicuitate manifeſtauit, vt dubitare nemo, niſi impius ἀθεος, *poſſit. Sic enim habet initium verbi diuini: In principio creauit Deus cœlum & terram. Nec verò fudit ſolùm res in natura omnes, ſed hominem etiam ipſum fabricauit ad ſuam imaginem, cum eo locutus eſt in Paradiſo, & deinceps etiam cum ſanctis patribus, docuit eos, monuit, defendit, conſolatus eſt, & vſq; eò amauit, vt Filium ſuum vnigenitum pro ſalute gentis humanæ mori, & ex morte reſurgere voluerit. Huius igitur veſtigijs cùm plena ſint omnia, non eſt hominis quærere, an ſit Deus, cùm ex creaturis & verbo certiſſimè cognoſci poſſit.*

III. Quid ſit Deus, humana ratio inueſtigare & ſcire per ſe non poteſt, pro-

pter stupiditatem. Quomodo enim infinitum à finito comprehendatur? Quod igitur Simonidi accidit, idem alys etiam usu venit, qui mentis suæ acie infinitam Dei essentiam inuestigare volunt, vt quò diutius, quid sit Deus, inquirunt, eò minùs assequantur. Relinquitur ergo, ex solo Dei verbo definitionem Dei petendam. Sic autem Deus ipse de se inquit, Exod. 3. cùm Moses quæreret de nomine Dei: Sum qui sum, id est, sum essentia æterna & immutabilis, habens esse à me ipso, à quo tanquam à fonte & principio cætera omnia essentiam suam habent. Iohan. 4. Deus est Spiritus, id est, essentia spiritualis. 1. Iohannis. 1. Deus est lux, id est, essentia lucida, inaccessa & ineffabilis, illuminans omnem rationalem naturam, vt Nazianzenus interpretatur, in concione de Baptismo. Est autem consideratio Dei duplex: alia absoluta, alia πρὸς ἄλλα: Deus absolutè, id est, quoad essentiam æternam, neq; cogitatione comprehendi, neq; oratione satis describi potest, quia habitat in luce inacces-

sa,

sa, siue ignota omnibus creaturis. Sed re-
latiuè, id est, cum respectu ad nos, quibus
se patefecit, dato verbo & misso Filio, co-
gnosci rectè potest. Prodyit enim ex arca-
na sede sua, & essentiam, voluntatemq; su-
am abundè nobis per Filium, factum nobis
ὁμοούσιον, *oratorem & interpretem mentis*
& voluntatis suæ reuelauit & enarrauit.
IIII. Qualis sit Deus: Hic proprieta-
tes Dei considerandæ sunt, seu virtutes,
vt immensa sapientia, potentia, bonitas,
iustitia, veritas, misericordia, castitas, li-
bertas.

V. Discrimen personarum: 1. Personæ,
quæ ὑποστάσεις, ὑφισάμενα, καὶ πρόσωπα
græcè dicuntur, tres sunt, σωταῖδιοι αὐταῖς
καὶ ἴσαι, *coæternæ inter se & æquales, sed ita*
discernuntur: Pater est ἀγέννητος, *in-*
genitus: Filius ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθεὶς πρὸ
πάντων τῶν αἰώνων, *ex Patre natus ante*
omnia secula: Spiritus sanctus ἐκπορευτὸς,
procedens à Patre & Filio, nempe essenti-
alis amor & lætitia in Deo Patre erga Fi-
lium, & vicissim in Filio erga Patrem.

II. Pater est persona mittens: Filius persona missa in mundum ad saluandum gentem humanam: Spiritus sanctus effunditur in credentes ad sanctificandum eos.

III. Pater est causſa προκαταρκτικὴ, *id est, iubens: Filius* δημιουργικὴ, *efficiens: Spiritus sanctus* τελειωτικὴ, *vires inijciens, vt Basilius loquitur. Pater enim fons est & principium. Filius* λόγος, *seu Verbum Patris, per quod omnia facta sunt & conseruantur. Spiritus sanctus, qui omnia fouet et sustentat.*

IIII. In Baptismo Christi Patris vox de cœlo sonuit: Hic est Filius meus dilectus: Filius stans in flumine Iordanis baptizatus est à Iohanne, et accepit testimonium à Patre: Spiritus sanctus effusus est, et demissus in specie columbæ.

V. Modus noscendi Deum: *Cùm Deus incorporeus sit et infinitus, neq; brachijs nostris prehendi, neq; mente capi potest, Itaq; in solo Filio, qui* θεάνδρος, *quod est, Deus homo, vel* θεὸς ἐνανθρωπησάμενος, *Deus homo factus, vel* λόγος θεὸς σαρκωθείς, *Verbum*

Verbum, vel Deus in carne manifestatus est, cognosci verè et rectè potest. Itaque nullus cultus Deo acceptus est, nisi qui fit in agnitione et fiducia Filij Mediatoris, nec efficax est vlla precatio, nisi fiat in spiritu, id est, fide accensa à Spiritu sancto et veritate, id est, vera agnitione Dei, et Filij eius Iesu Christi, Iohan. 4 et 17.

Iohannes ante portam, VI Maij.

Fabula est de Ioanne Euangelista et Apostolo, quòd captiuus Romam missus sit, propterea quòd idolis sacrificare noluerit: Romæ verò iussu Domitiani Cæsaris, recisis omnibus capitis capillis, in oleum feruens iniectus, ante portam Latinam, saluus inde euaserit.

LEMVRIA, IX Maij.

Lemuria sacra fuerunt, quibus Lemuribus per triduum res diuina fieri consueuit. Sunt autem Lemures spectra, quibus terrentur homines: dicti quasi Remures à Remo scilicet, cuius occisi species obiecta est Romulo, eumq; perterritum de somno excitauit,

tauit, nec mente consistere siuit. Romulus ergo, vt Manes fratris placaret, Lemuria instituit, tanquam parentalia, vt laruas ac terrores auerteret.

ARGEORVM FESTVM, XV Maij.

Argei erant simulacra siue effigies hominum triginta scirpea, quas virgines vestales singulis annis publicè de ponte sublicio in Tyberim iaciebant: forte vt morem deijciendi, tollendiq; hostes suos repræsentarēt. Ouidius:

Tum quoq; priscorum virgo simulacra virorum
Mittere roboreo scirpea ponte solet.

MERCATORVM FESTVM, XV Maij.

Hoc die mercatores festum diem agitârunt propter edem Mercurij, quæ in eo dedicata fuit. Soliti sunt autem in hoc sese laureo termite, fonte Mercurij immerso, ante portam Capenam dispergere, vt quæstum copiosiorem facere possent.

BERNHARDINVS XX Maij.

Bernhar-

Bernardinus Senensis, monachus ordinis S. Francisci, anno Christi 1450, in die Pentecostes in sanctorum numerum relatus est à Nicolao V. Pontifice Romano. Est autem tantus honos illi habitus ob insignem pietatem, & merita in suum ordinem, quem monasteriis plus quinquaginta auxisse dicitur. Conciones frequentes habuit, in ijsq; nomen Iesu aureis literis scriptum in tabula ostendit populo, vt ad amorem & fidem in eum quamplurimos inflammaret. Ex quo sanè apparet, hominem fuisse simplicem, & amantem veræ doctrinæ de Deo. quamuis interim operibus, more seculi corrupti, plus, quàm verbum Dei sinit, tribuerit.

VRBANVS XXV Maij.

Hoc nomine sex Episcopi fuerunt in Ecclesia Rom. quorum primus in classe Episcoporum prima vixit, quæ minus errorum & plus pietatis, minus commodorum & honorum ciuilium, plus verò curæ & religionis veræ habuit. Iccirco hic etiam primus Vrbanus Episcopi munus maiori curâ & fide administrauit, quàm sequentium

atatum Episcopi fecerunt: vtpote, quæ non Episcopos, sed Papas & Pontifices protulerunt, quod vel hinc cognosci satis potest, quòd tanti fecit hic Vrbanus Christi doctrinam, vt propter eam mortem obierit, & martyr factus sit, anno Christi 232.

ALIVS VRBANVS, Martyr.

Socrates lib. 4 cap. 16. scribit, Vrbanum quendam, cum alijs quibusdam octoginta pijs viris, venisse Nicodemiam, ad Valentem Imperatorem, & supplices ei obtulisse literas, quibus de iniuria & vi Arianorum questus sit. Cæsar, qui Arianis fauebat, mox consilium de occidendis illis cepit. Sed cùm publico supplicio afficere metu populi non auderet: per insidias eos adortus est, & mandatum dedit præfecto cuidam, vt illos naui impositos in terram peregrinã abduceret. Hic ergo, cognita Cæsaris voluntate, cùm in alto nauis iactaretur, incendit eam, & Christianos orthodoxos combussit. Ipse verò cum suis conscensa alia naui euasit.

Addit

Addit Socrates, diuinitus punitum esse hoc facinus, vt passim per totam illā regionem fames ingens grassata sit.

BEDA, XXVI Maij.

Beda, presbyter & monachus in Anglia natus, anno Christi 666. mortuus verò 735, ætatis suæ 70. Homo fuit sanctus & diligens.

IVNIVS.

Iunium à Iunone dictum esse, ipsamet Iuno apud Ouidium gloriatur his versibus: Ne tamen ignores, vulgiq; errore traharis: Iunius à nostro nomine nomen habet. Hinc nata esse videtur germanica vox Jung.

Kalendæ Iunij vulgò Fabariæ vocantur à fabis scilicet, quæ adultæ hoc tempore diuinis rebus adhibitæ sunt, vt Macrobius ait. Sacrificatum est autem Carneæ deæ, quæ vitalibus præesse credebatur, pulte fabaria, hoc est, fabis recentibus, cum farre mixtis, & larido etiam, vt viscera, Kalendæ Fabariæ.

hoc est, cor, iecur, & alia membra interna corporis roboraret & conseruaret.

FESTVM CORPORIS CHRISTI, Warcleichnam.

I. Nomen: Appellatur festum Eucharistiæ, vel corporis Christi, institutum anno Christi 1264. ab Vrbano quarto pontifice, vt in eo de cœna Domini, in qua is corpus suum manducandum & sanguinem bibendum nobis præbet, tractaretur. Est autem nomen ipsum palàm impium, quia est mutilatum. Non enim Sacramentum cœnæ corpus tantùm Christi habet, sed etiam ipsius sanguinem pro nobis profusum, ideoq; non corporis Christi, sed corporis & sanguinis Christi festum rectius dicitur. Pontifex verò sanguinem Christi sustulit, Corpus solum reliquit, quo abutitur ad circumgestationem & theatralem pompam, qualem etiam in Persia fuisse accepimus.

II. Ritus: Pompa celebri & frequente hominibus corpus Christi hierothecæ inclusum, à Sacerdote circumfertur, cum cantioni-

tionibus & ceremonijs multis, sed contra mandatum Christi, qui non iubet gestari, & in theatrum produci suum corpus, tanquam spectaculum, sed accipi & edi.

III. Vsus est planè impius & idolatricus. *Quia nihil habet rationem Sacramenti veri extra vsum, à Christi institutum.*

Hanc regulam tradidit Philip. Melanchthon, anno Christi 1541, cùm in conuentu Ratisbonensi cum Eccio, Pontificiæ religionis acerrimo propugnatore, de Missa disputauit: quæ cùm nulla Sophistica euerti possit, firmamentum est aptissimum ad refutandũ complures abusus pontificios, nempe de locali inclusione corporis Domini, de circumgestatione, de adoratione, de missa. In his enim omnibus desideratur primùm ritus à Christo præscriptus. 2. finis ab eodem ordinatus. 3. fides personæ vtentis siue sumentis, sine qua omnis ceremonia otiosa est & friuola.

Hoc festum postea in concilio Viennen-

sii in

sit in Gallia de integro confirmatum est, anno Christi 1311.

ERASMVS III Iunij.

Desiderius Erasmus, Roterodamus, natus est anno Christi 1466, in Batauia, siue Holandia. Hic post Georgium Agricolam, et Ioannem Capnionem literarum doctrinam ex Italia et Gallia in Germaniam importauit, auxit, et illustrauit. Primùm Lutheri conatus in repurganda Ecclesiæ doctrina non improbauit, moderationis tantummodo plus in eo desiderauit. Censuit enim, satius esse, virulentas quorundam contentiones contemnere, quàm refellere. Anno Christi 1520. cùm Cæsar Carolus V. Aquisgrani coronaretur, interrogatus est à Friderico Saxonum duce, imperijq; Electore Coloniæ, quid de Luthero sentiret? Cui respondit, veram esse illius doctrinam, sed vehementiorem aliquando esse confirmauit.

Cùm iterum quæreret Princ. Elector, quare adeò offendisset clericos Lutherus? Duo, inquit Erasmus, peccata mortalia admisit:

misit: quia tetigit coronam Papæ, & ventres monachorum. Postea tumultuante Carolostadio & alijs fanaticis hominibus, Nicolao Pelargo, & Thoma Muncero, cœpit alieniori esse animo à Lutheri caussa: adeò sibi inuisam esse scribens discordiam, vt veritas etiam displiceat seditiosa.

Anno 1524 oppugnauit apertè doctrinam Lutheri, edita diatribe de libero arbitrio. Cui biennio post opposuit Lutherus scriptum de seruo arbitrio. Inde disiuncti animo, & voluntate dissidere alter ab altero indies cœpit. Fassus quidem fuit Erasmus, Ecclesiæ Romanæ vitia tanta esse, vt corrigi sine asperitate non possent. Et nihilominus tamen propter vehementiam styli à Luthero defecit. Pontificiorum verò errores & Ecclesiasticorum vitia æquè improbauit, & insectatus est, atq; Lutherus: sed facetè magis & salsè, eaq; vrbanitate, quæ acerbitatis multum habuit, non minus ferè offendit Pontificios, quàm Lutherus aperta veritatis professione. Itaque & apud Pontificios, & apud Euangelicos

licos collectam gratiam effudit, dum in vtrisq; inuenit, quod fugiendum arbitraretur: & medius haberi, quàm alteri adhærescere voluit: propemodum versus illius sententiam sequens, quem in ore habuisse ferunt Aristotelem, πάντα μέσοισιν ἄριστα *&* μέσῳ θέλω ἐν πόλει εἶναι *Mortuus est anno Christi 1536, Basileæ, iam septuagenarius.*

ERASMVS SARcerius.

Erasmus Sarcerius Annabergæ, oppido Saxoniæ Ducis, natus est anno Christi 1500. vtrumq; fuit, scholarum moderator bonus, & Ecclesiæ pastor salutaris. Scholas enim complures gubernauit. Viennæ in Austria, Grezij in Styria, Lubecæ in Saxonia, Rostochij in littore Baltico, & Sigenæ in comitatu Nassouiensi. Atq; in his non pietatis tantum veræ et religionis fundamenta iecit, sed literarum etiam et artium præcepta methodo Melanchthonia explicauit, adhibita luce et copia exemplorum,

rum, quam Melanchthon in Germaniæ Academias & scholas importarat. Ad gubernacula verò Ecclesiæ vocatus, pastoris & Episcopi, vel vt recentiores vocant, Superintendentis munere grauiter, sanctè & integrè functus est. Non enim doctrinam solùm orthodoxam tradidit, & inculcauit concionibus crebris & eruditis, sed scriptis etiam, ex perpetuis testimonijs Prophetarum, & Apostolorum, & doctorum sanorum collectis, eandem confirmauit & propagauit. Tum vitæ grauitate & sanctimonia professionem suam plurimùm exornauit.

Constantia verò tanta fuit, vt neq; aduersis frangi, nec secundis inflari potuerit. Quin etiam nec minis expugnari, nec blanditijs corrumpi sese passus est. Contemsit animo celso pericula, pro nihilo duxit insidias, quas sæpenumero sibi paratas esse & versari ante oculos nouerat. Conciones eius fuerunt diserta, graues, & copiosæ, & vt ardens ad auditores perueniret oratio, arsit ipse, laborauitq;

rauit q3, vt nullum verbum loqueretur, nisi quòd sensum aliquem vel doloris vel consolationis haberet. Ita verè cum delectatione aculeos reliquit in animis eorum, qui audierunt. Ex omnibus verò virtutibus eius nulla fuit præstabilior, quàm quòd Ecclesiam nullo suo quæstu aut commodo, sed vtilitate illius mensus est: satisq3 sibi esse putauit, si suo periculo salutem Ecclesiæ vel reparâsset vel tutatus esset.

Anno 1552, cum Philippo Melanthone missus à duce Saxoniæ Mauritio ad concilium Tridentinum, Noribergam vsq3 processit. Sed dum ibi iussu principis Electoris substitit, subitò natus belli quidam rumor, de medio cursu eum reuocauit. Disciplinæ custos fuit seuerus & diligens, nec in vnum magis, quàm in alium animaduertit, sed æquabilis inter omnes & vnus omnibus esse voluit. Testis esse possunt Ecclesiæ, quotquot eum docentem audiuerunt in comitatu Nassouiensi, Lipsiæ in ducatu Saxoniæ, Islebiæ in comitatu Mansfeldiaco, & ad extremum in vrbe Magdepurga,

purga, in qua etiam diem ſuum obijt, ætatis anno 59, Chriſti verò 1559.

ÆSTAS.

I. *Nomen: AEſtas ab æſtu eſt, quia hæc anni pars maximè feruet. Hebraicè Caitz, à pungendo, quòd Sol pungat hoc tempore, id eſt, ad maturitatem extimulet fruges terræ. Græcè θέρος, quo & calor & meſſis ſignificatur, quòd videlicet meſſis pars æſtatis præcipua ſit. Germanicè,* ſommer / *quaſi* Sonnenmehrung / *per Apocopen.*

II. *Tempus: Incipit à ſolſtitio æſtiuo ſiue ingreſſu Solis in Cancrum, quando Sol eſt altiſſimus, videlicet in Apogeo, & longiſſimè à terra diſtat. Vnde etiam minus eſſe videtur eius corpus, quàm in Solſtitio hyberno Diſtat autem altiùs à terra in hoc Solſtitio, quàm in hyberno, milliaribus germanicis 41624. Deprehenſum tamen eſt, Solem hoc tempore in vtroq; Solſtitio propiorem eſſe terræ milliaribus germanicis nonem millibus, nongentis, ſeptuaginta ſex,*

quàm fuit Ptolomæi tempore, qui circa annum à nato Christo 140 vixit. Quod cur fiat, penitus non scimus, nisi quòd coniecturà iudicamus, Solem atq; adeò naturam totam in hac senecta langvescere, & magno motu ad finem properare & quasi delabi. Prædixit enim Filius Dei, fore, vt in fine Mundi virtutes cœlorum commoueantur. Tum quia terra nunc effœta est, tanquam senile corpus, propiore calore eget. Iccirco magis sese ad eam demittit Sol, vt fouere propiùs possit.

III. Temperamentum: AEstas calida & sicca est.

IIII. Opera & studia æstatis: Hesio. lib. 2. οὐκ ἀεὶ θέρος ἔσσεται, ϖοιεῦδε καλιάς. *Non semper æstas erit, facite nidos. Hortatur nos omnes, vt æstatis tempore, dum licet, & tempus, ætas, & vires sinunt, ea paremus & colligamus, quæ in hyeme ad vitæ, animique cultum necessaria sunt. Salomon prouerb. 6 iubet intueri in exemplum formicæ, quæ in æstate cibum parat, & in messe colligit alimentum. Est igitur*

gitur formica nobis dux, atq; magistra ad quærendam per æstatis tempus victum corporis, & animi cultum, quo in tristi & duro hyemis tempore, in concursu tempestatum & calamitatum præsidia habeamus.

V. Allegoria Solstitij æstiui: Sol cancrum ingrediens in summo quidem versatur cæli fastigio: sed tardissimè tamen mouetur atq; incedit. Quo sanè omnes mortales, & præsertim principes, & eos, qui gubernacula tractant, tanquam de sublimi concionans, admonet, vt quò sublimiores sunt, eò modestiùs se gerant, & à præcipiti celeritate, furoreq; abstinendum sibi omnino statuant.

Zenocarg in vita Caroli V.

BONIFACIVS,
V Iunij.

Bonifacius, Bedæ discipulus, Hunefridus antea dictus, sed à pontifice Romano Bonifacius appellatus, ex Anglia in Galliam, indeq; Romam venit, Roma à Pontifice in Germaniam missus, circa annũ Christi 717 verbum Dei Germanis prædicare cœpit. Ac Ecclesiam quidem successu admirabili non re-

formauit solùm, sed ampliauit etiam. Quò circa à Pontifice Zacharia Archiepiscopus Moguntiæ designatus est. Cùm autem animaduerteret, se vnum non esse parem pluribus Ecclesijs regendis: alios episcopatus fundauit, Herbipolensem, Aistatensem, & Frisingensem. His addidit etiam Fuldense cœnobium in Fagis, seu Sylua Buchonia, vt plures haberet Ecclesia inspectores, & scholas quoq;, quibus iuuentus ad bonarum rerum tractationem in Ecclesia & politia instrueretur. Memorantur eius instituta præclara quædam Ecclesiastica: in Synodo Moguntina decretum fecit cum cæteris Episcopis, vt sacerdotes in coniugio viuerent, pietatis & literarum studijs vacarent, & precationibus, alijsq; bonis operibus operam darent. Adulteros verò scortatoresq; puniendos grauiter putauit: decreuit etiam, vt singula opida singulos pastores haberent, & quotannis synodus in Germania haberetur, in qua iudicium de dogmatibus fieret. Edixit præterea, ne Clerici secularibus negotijs implicarentur.

Et hæc

Et hæc quidem hactenus bene, laudabiliterq; à Bonifacio facta sunt. Id verò minùs probandum est, quòd Pontifici nimium tribuit. Ex quo errores pontificij complures, & tyrannis etiam in Ecclesiam Germanicam inuecta est. Sed nec id alienum ab Episcopi officio est, quòd constitutis ad Rhenum Ecclesijs, in Frisiam abijt, relicto post se gubernatore Ecclesiæ Lullo. At nimis exceptus est à Frisijs crudeliter, qui & religionem Christi repudiârunt, & Bonifacio ipsi manus attulerunt, martyremq; effecerunt, anno Christi 755.

MEDARDVS, OCTAVO Iunij.

Successionum, Papir. Massonus l. 1 Annal. l. p. 44.

Medardus Episcopus fuit Tornacensium in Gallia, cuius miracula, quæ commemorantur, suspectæ fidei sunt. Dies verò κῳλικὸς esse putatur, propterea quòd pluuia huius diei triginta dierum pluuiam portendat, secundum rusticorum regulam. Quæ opinio inde orta est, quòd com-

menti sunt eo die, quo Medardus est mortuus, aqua calida pluisse. Mortuus est anno Christi 556.

Gregorius Turonensis scribit, se vidisse ad sepulcrum Medardi iacentes compedes & catenas, ad illud vsq; tempus reseruatas, vt testimonium virtuti eius præberent.

VITVS, XV IVNII.

Nomen & memoria Viti in hoc die collocatur tanquam martyris sancti & constantis, qui omnis generis exquisita tormenta subijt, vt Christo Domino suo fidelis vsq; ad mortem reperiretur. Historiam eius certam non inuenio.

Decem millia martyrum, XXII Iunij.

Tanta fuit crudelitas Adriani Cæsaris aduersus Christianos, vt hoc die decies mille martyres in Armeniæ monte Ararath, propter fidem in Christum, trucidati esse dicantur.

IOHANNES BAPTISTA, XXIIII Iunij.

Nomen: Vocatur Baptista, quod nomen

men est officij, ab immersione in aquam factum. Orsus est enim Iohannes Baptismum, & non solùm homines, sed etiam Christum ipsum in flumine Iordanis baptizauit. Appellatur etiam πρωταγωνιστὴς, πρόδρομος καὶ πρόαγγελος κυρίου, propugnator, præcursor & prænuncius Domini siue Messiæ.

II. Parentes: Pater eius fuit Zacharias, Sacerdos de vice Abia: Mater Elisabeth, id est, requies Dei, nata ex posteritate Aaronis, seu tribu Leui.

III. Natiuitas miraculis diuinis plena fuit. 1. Nunciata est ab Angelo Gabriele. 2. Pater accepto nuncio, factus est mutus: 3. Subsilijt infans præ gaudio in vtero materno, audita salutatione Mariæ, matris Messiæ. 4. Mater fuit effœta & sterilis, 5. Edito infante, pater recuperauit pristinum sermonis vsum, infantiq; nomen fatale, i. e. faustum & gratiosum indidit, contra omnium opinionem & expectationem. Tum erupit etiam in præconium infantis, tanquam vaticinans de persona & operibus eius. Natus est autẽ semestri ante Missiam.

IIII. Educatio: In pueritia vixit in deserto vsque ad tempus ostensionis suæ. Postquam enim, vt Nicephorus scribit, pater Zacharias Ierosolymis inter templum & altare occisus est à Pharisæis, propter testimonium de concepto Messia: mater vidua metu infanticidij Herodiani, cum filio Iohanne profugit in desertum, ibiq; in loco, latrombus infesto, inter Ierosolymam & Ierichuntem, prope arcem Adunim, in quadam spelunca latuit. Habuerunt autem eo in loco Essæi scholam, in qua non tàm legem Dei, quàm medicinam professi sunt, sanctèq; viuendo professionem suam ornârunt. Consentaneum est itaq; Iohannem alumnum siue discipulum huius scholæ fuisse, ex eaq; disciplina factum esse duriorem. Creuit autem Iohannes & spiritu confortatus est, vt Euangelista ait. Ex quo intelligi satis potest, eum in pietatis exercitijs institutum esse, & donis Spiritus sancti ornatum. Victus erat mel syluestre, quod quidam interpretantur rorem, manè ad Solis ortum ex arborum ramis

mis decussum: & locustæ, quibus vesci etiam Parthi fuerant soliti, & qui hisce victitant ἀκρίδοφάγοι appellantur, autore Eustathio, Homeri commentatore. Vestitus è Cameli pilis contextus fuit, similis vesti vndulatæ, Schamblot.

V. Vitæ genus: Professio Iohannis & ante conceptionem ab Angelo, & post natiuitatem à patre Zacharia prædicta fuit, quòd futurus esset Propheta altissimi, id est, Messiæ, seu præco antecessurus Messiam, & viam ipsi præparaturus per concionem pœnitentiæ, & remissionis peccatorũ in nomine Christi, & per nouum etiam ritum Baptismi. Fuit igitur professio eius sancta, & ordinata à Deo ad ministerium Euangelij in nouo testamento, cuius ἔξαρχος, id est, incoator ille extitit: & quidem in deserto extra vrbem, non secundũ ordinariam potestatem synedrij siue consistorij, vt ostenderet palàm, se nouum ministerium incoare, non alligatum ad sedem pontificiam, sed mox liberè, lateq; diffundendum & propagandum in orbe terræ,

Anno ætatis suæ vigesimo nono, anno Tiberij Cæsaris 15.

VI. Doctrina: Cognouit & docuit vnum Deum & tres distinctas Diuinitatis personas, in Baptismo Christi patefactas. Nam Patris vocem de cœlo audiuit: Filium in flumine stantem baptizauit: Spiritum sanctum in specie Columbæ apparentem conspexit. Christum rectè nouit, & Saluatorem mundi esse testatus est, cùm adhuc in vtero matris esset: tùm agnum Dei, tollentem mundi peccata prædicauit: quo elogio totam salutis humanæ rationem Christo tribuit, vtpote qui susceperit in se omnium mortalium peccata, & eadem etiam expiârit & abstulerit. Discrimen Legis & Euangelij hoc dicto explicauit, Iohan 1. Lex per Mosen data est: gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est.

De iustificatione sic docuit Iohannes: Ex plenitudine eius, id est, merito omnes accepimus gratiam pro gratia, id est, remissionem peccatorum gratuitam propter dile-

dilectum Filium. Ad pœnitentiam hortatus est omnes homines, cùm dixit: Facite fructus dignos pœnitentia, Luc. 3. De bonis operibus concionatus est, Luc. 3. cùm singulis ordinibus interrogantibus respondit, quid facere deberent. Ecclesiam vocauit Christi sponsam, Iohan. 3. De baptismo, Iohan. 1. Ego aqua baptizo. De extremo iudicio & vita æterna, Matth. 3. Dominus purgabit aream suam, & congregabit triticum in horrea sua: Paleas verò comburet igne inextinguibili, Iohan. 3.

VII. Acta: Taxauit Idolatriam, & abusum religionis spiritu & zelo Eliæ, id est, iusta seueritate, & vera constantia. Vnde & Elias dictus est. Non honorem, non opes, non potentiam, non autoritatem, non commoda, non voluptates huius Mundi sectatus est, sed vitam egit ærumnosam, & asperam in hoc Mundo: vt satis constaret, eum non Mundo, sed Christo suo placere velle. Baptizauit Christum, reprehendit Herodem, quamuis peri-

Pericula & mortem ipsam sibi paratam sciret. Scholam habuit & discipulos, qui transierunt postea ad Christum.

VIII. Exitus: Cùm biennium functus esset ministerio suo, in carcerem coniectus est ab Herode Antipa, & capite truncatus in arce Macherunte, anno Christi 32. Causa erat, quòd incestum Herodis, concumbentis cum fratris sui Philippi vxore, reprehenderat. Quo facto regem grauiter offendit, & accesserunt haud dubiè militum calumniæ multæ, quibus prægrauârunt Iohannem, tanquam seditiosum, læsæ maiestatis reum. Iccirco in conuiuio tandem, cùm filia saltando promissum à patre impetrâsset, vt, quicquid peteret, ferret: matris maligna instinctu caput Iohannis petiit, quod etiam resectum mox obtinuit. Cadauer sepelierunt discipuli, Matth. 14. caput autem longo post tempore à Monachis quibusdam inuentum Constantinopolim est translatum, vbi Theodosius Imperator miræ pulchritudinis templum ædificauit, et caput S. Iohannis in eo collocauit. Sozomenus lib. 9. cap. 12.

IX. Or-

IX. *Ordo equitum S. Iohannis à Balduino de Burgo, Hierosolymorum rege, institutus est, anno Christi 1118. Qui Postea Rhodum, indeq; Melitam translatus est.*

Septem dormientes,
27 Iunij.

Anno Christi 251 septem iuuenes, metu horrendæ sæuitiæ, quæ in Christianos exercebatur, ex vrbe Epheso in montem cauum secesserunt, ibiq; somno oppressi sunt. Quod cùm cognouisset Cæsar, edicto acerbo iussit cauernas montis occludi, vt fame illic contabescerent. Hinc dormiuisse dicuntur annos amplius 196. scilicet ad Theodosii iunioris imperium vsq; & demum anno Christi 446 somno solui esse, vt habet Cedrenus, Nicephorus, Historia Lombardica.

FESTVM PETRI PAVLI,
XXIX Iunij.

I. *Nomen. Festum inde nomen habet, quòd Petrus & Paulus hoc die sub Nerone, Cæsare Romano, necati esse dicuntur:*

Petrus

Petrus quidem truce, Paulus verò gladio. Cæterum Petrus græca vox est à πέτρα, qui est Christus, 1 Corin. 10. Petra autem erat Christus. Sicut Christianus ex Christo dicitur. Syriacè, Cephas, Germanicè, ein Fels/ *Iohan. 1. Accepit autem hoc nomen à Iesu, cùm quidem antè vocaretur Simon, Marc. 3.*

II. *Patria: Fuit Bethsaida, id est, domus venationis: pater Ionas, Iohan. 1. ex quo appellatur Bar Ionæ, Matth. 16.*

III. *Studium: Piscator erat primùm, Matth. 4. Deinde vocatus est à Christo ad munus Apostolicum, vt qui antè pisces cepisset, deinceps homines voce Euangelij ex mundo, tanquam ex vastis diluuij aquis extractos, ad regnum DEI conuerteret; Luc. 1.*

IIII. *Acta: Matth. 14. Iussus à Christo, ambulauit super aquas, sed vento validò territus, cùm cœpisset demergi, manu Christi prehensus seruatur. Adfuit Christo cùm resuscitaret mortuam Iairi filiam, Lucæ 8. Item in monte Thabor, cùm transforma-*

formaretur Iesus, Matth. 17. Interrogatus à Christo, quis esset Christus, Filius hominis? Respondit Petrus pro se & reliquis Apostolis: Tu es Christus Filius Dei viuentis. Ideoq; mox etiam audiuit vocem salutis & solatij plenam: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Vbi distinctè nominatur Petra, quæ est Christus ipse, fundamentum Ecclesiæ, & autor omnis salutis: Et Petrus tanquam membrum Ecclesiæ Christi confitentis, ipsum verum esse Deum, & Saluatorem generis humani: Accepit simul etiam claues regni cœlorum, id est, potestatem remittendi peccata agentibus pœnitentiam in nomine Christi, & retinendi perseuerantibus in delictis, Matth. 16. Non multò pòst ab eodem Christo vocatus est Satanas, cùm inquit: Abscede à me Satana, quòd videlicet Dei consilio resisteret de cruce, seu passione Christi, per quam redimi à peccatis genus humanum oportebat, Matth. 6.

In vrbe Capernaum missus ad mare, state-

rem,

terem, id est, dimidium Ioachimicum ex ore piscis exemit, & didrachma soluit pro se & Christo, Matth. 17. Cum interrogâsset Christum, quoties remittere fratri, in se peccanti, deberet, num satis esset septies? Responsum accepit: Non septies, sed septuagies septies, Matth. 18. Iterum confessus est, Christum habere verba vitæ æternæ, Iohan. 6. Parauit cum Ioanne Pascha, Luc. 22. Recusauit quidem lauari à Christo, sed tandem persuasus, non pedes solùm, sed manus etiam & caput lauari optauit, Iohan. 13. Promittebat quidem spe & animo inflatus, se, deficientibus cæteris, Christo in periculis non defuturum, Matth. 26. Sed postea factus perfidus, ter Christum abnegauit. In horto dormiuit, Christo ardentissimè precante, & ad vigilantiam hortante, Matth. 26. Percussit Malchum abscissa auricula eius dextra, zelo extra vocationis metas erumpente. Matth. 26. Christus primo die resurrectionis suæ apparuit Petro, quòd, propter maximum lapsum, maxima etiam consolatione egeret.

Postea

Postea iussit eum pascere oues suas in vera dilectione & fide, quam Christus ter interrogando confirmare in eo voluit, Iohan. vltimo. Post ascensionem Christi cœpit concionari de Christo ex Propheta Ioële, primùm confirmans, donum Spiritus sancti esse proprium beneficium noui Testamenti: Secundò, colligens testimonia de morte & resurrectione Christi. Tertiò, declarans modum accipiendi beneficia à Christo nobis parta, Actor. 2. Hominem claudum ab vtero matris sanauit, & mox concione ad Iudæos habita de morte & resurrectione Christi, luculentè promissionem de Messia enarrauit, Actor. 3. Prehensus cum Iohanne à sacerdotibus & præfectis ob beneficium sanati claudi, apologiam grauem & iustam opponit eorum calumnijs, & mandatis impijs, Act. 4. Ananiam & Saphiram è vita expulit propter mendacium, Actor. 5.

Venientis Petri vel vmbra sanauit ægrotos, Actor. 5. Iterum Pontifici frementi & fulmina cum minis spiranti respondit: Obedire Deo oportet potiùs, quàm homini-

bus, Actor. 5. Cæsus fuit cum cæteris Apostolis, Actor. 5. Simonem Magum & hypocritam grauiter obiurgauit, Actor. 8. Lyddæ sanauit in nomine Iesu Aeneam paralyticum: Tabitham in vrbe Ioppe ex morte resuscitauit, Actor. 9. Accersitus Cæsaream ad Cornelium, visione eq; confirmatus: coniectus in carcerem ab Herode, diuinitus misso angelo euasit, Actor. 12. In Synodo Ierosolymitana cùm certamen esset de circumcisione & cæremoniarum obseruatione, Petrus graui concione cæremonias Mosaicas refutauit, quasi minimè ad salutem necessarias: confirmans, fide in Christum patres & nos omnes saluari oportere, Act. 15. Reprehensus fuit à Paulo Antiochiæ, non quidem propter doctrinæ aliquam corruptelam, sed propter erratum in facto: quòd personarum respectu modò conuixisset Ethnicis, modò abstinuisset, Gal. 2. Reliquit epistolas duas, quibus fidem Christi, & iustitiam bonæ conscientiæ cum patientia in cruce, summa contentione inculcat popularibus suis Iudæis, dispersis in Ponto, Galatia, Bithynia, Cappadocia & Asia.

Exitus

f. Exitus è vita. Petrus vbi vidit vxorem suam ad supplicium duci, lætatus eo spectaculo monuit, vt recordaretur Domini. Clemens lib. 7. Stromat. Tandem aliquando ipse quoq; in crucem actus est Romæ, sed inuersis vestigijs, capite scilicet dependente, & pedibus eleuatis. Cùm enim Nero eius vitæ insidiaretur, rogatus fuit ab amicis, vt vrbe cederet: id quod vix tandem persuasus se facturum pollicitus est. Sed cùm portam attigisset, Christum sibi vidit occurrentem, quem cùm interrogâsset, quò vaderet? respondit Christus: Venio, vt crucifigar. Ex quo intellexit Petrus, velle hoc Christũ, vt crucem pateretur. Hegesip. lib. 3. cap. 2. vbi etiam certamen acre narrat Petri & Simonis Magi de adolescente mortuo resuscitando, in quo tamen vicerit Petrus, & mortuum in vitam reuocârit. Verùm suspecta est hæc narratio planè, vt suprà de cathedra Petri ostendimus. Mortuus est igitur S. Petrus vel Babylone in Aegypto, quæ hodie Alcairum vocatur, vbi priorem suam epistolam scripsit: vel Icrosolymis ab Herode Agrippa interfectus est.

FESTA ETHNICA, mense Iunio.

Tempestas. *Romani primis diebus Iunij festa varia celebrârunt. Secundo die Tempestatis delubrum consecrârunt. Quarto Bellonæ sacrum*

Bellona. *fecerunt, quæ bellorum dea fuit. Septimo*

Fidius. *die Fidio sacrificârunt, qui in deorum numerum relatus est, propter rem militarem, cuius peritissimus est habitus. Eodem die piscatorij ludi celebratì sunt, quibus Vulcano pisciculi viui sunt immolati pro animabus*

Mens. *humanis. Octauo die Menti sacrificatum est, quæ & ipsa in earum numero locoq; habita est. Nono Vestæ fuerunt feriæ, quibus virgines vestales sacrificârunt Vestæ,*

Vesta. *hoc est, ignis deæ. Est autem in hoc festo à piscatoribus Vesta etiam culta, qui non solùm*

Ritus. *ipsi, sed etiam asini eorum feriati sunt, & floribus coronati panes ex collo pendentes circumgestârunt. Quin matronæ etiam hoc festo nudis pedibus ad templum Vestæ iuerunt.*

Matralia. *Vndecimo die Matralia celebrata sunt, quæ fuerunt festa matris Matutæ, quæ Cad-*

mi

mi filia fuit. Ino, dicta à Græcis Leucothea. In hoc mulieres vnam tantummodo seruam adduxerunt in templum, & colaphos eius genis influxerunt.

Decimo tertio memoria Summani, cui Romæ templum erat positum, renouata est. Summanus autem idem est, qui orcus, Pluto, Dis, quasi summus manium dictus. Sũmanus.

Græcorum Festa, mense Iunio.

VI. Iunij Olympia celebrârunt, quæ fuerunt ludi siue agones facti in agro Pisano, vbi templum Iouis Olympij fuit, & ante templum lucus, stadium & circus. Instituta sunt primùm ab Hercule, anno mundi 2766: sed renouata à Græcis 430 annis pòst, & quinto quoq; anno repetita, vt in ijs tanquam in conuentibus publicis totius Græciæ deliberationes haberentur, de rebus ad salutem patriæ necessarijs, & certamina essent artificum omnis generis.

XVI. ΜΕΤΟΙΚΙΑ, *vel, vt Thucydides vocat,* ΣΥΝΟΙΚΙΑ *celebrârunt Athenienses, quæ à migratione nomen habuerunt: quòd olim*

duce Theſeo ex agris in vrbem, tanquam in Coloniam, deducti eſſent.

IVLIVS.

Hic menſis Quintilis fuit dictus à numero quinario vſq; ad Iulij Cæſaris regnum, cui Antonius Conſul cùm alios honores diuinos decreuit, tum eum etiam tribuit, vt à nomine eius Quintilis tot ſeculis dictus, deinceps Iulius appellaretur, eò quòd procreatus in eo eſſet.

FESTVM VISITATIONIS Mariæ, II Iulij, inſtitutum in Concilio Baſilienſi, anno Chriſti 1441.

I. Nomen: Vocatur Feſtum ἐπισκοπῆς, *viſitationis, ſeu* ἀσπασμοῦ, *ſalutationis Mariæ & Eliſabethæ, propter hiſtoriam primæ ſynodi, & cantici in nouo Teſtamento: quando ſcilicet Maria, accepto nuncio de conceptione Meſſiæ in vtero ſuo, Eliſabetham cognatam ſuam viſitauit ac ſalutauit, profecta Ieroſolymam itinere 16 milliarium, et ad hunc vſq; diem circiter tres menſes, apud eam manſit*

II. Modus: Iuit μετὰ σπουδῆς, *cum feſtinatione, vel eximio quodã & ſingulari ſtudio.*

III. Cauſſa: Impulſiua fuit abſque dubio deſiderium

desiderium coràm inspiciendi Elisabetham, quam concepisse in effœta senecta affirmabat Angelus. Finalis: prima fuit, vt lato nuncio impertiret cognatam suam. Secunda, vt Cognatæ suæ, vicinæ iam partui, adiumento esset atq; subsidio. Tertia, vt se & illã mutuo colloquio solaretur & cõfirmaret. IIII. Actus: Maria ingressa in domum Zachariæ salutauit Elisabetham, ex quo mox Iohannes infans in vtero Elisabethæ præ gaudio salijt: hoc ipso motu & gestu concepto & venienti ad se Messiæ gratulans. 2. Elisabetha ipsa repleta Spiritu sancto, non quidem corporis, sed fidei oculis perspexit et agnouit Mariam Messiæ matrem. Nondũ enim in corpore Mariæ signa cõceptionis cõparebant: neq; ex alijs audierat Elisabetha, quòd Maria mater Domini facta esset. 3. Ardenti gaudio in hãc vocẽ erupit: Benedicta tu inter mulieres, i.e. laude et prædicatione digna es, propter dona à Deo tributa, et benedictus fructus ventris tui, id est, Christus, quem in vtero geris, laudãdus & celebrãdus est: vtpote per quẽ omnes gentes be-

nedictionem & salutem consequuntur. 4. Prædicauit et confirmauit Elisabetha fidem Mariæ. 5. Maria accensa luce Spiritus sancti hymnum cecinit, in quo lato pectore beneficia Dei confessa est, et celebrauit priuata simul et publica. Priuata quidem, quòd tam humilem et vilem puellam in tam alto dignitatis gradu collocauit, vt matrem Domini fieri voluerit. Idq; sine vllo merito proprio, ex mera misericordia & bonitate. Publica verò, quòd per hunc puerum Messiam res omnium maximas effecturus sit, diabolum, omnesq; hostes superbos destructurus, humilibus verò & sitientibus æterna bona daturus, secundum promissiones suas, ante secula multa editas. Estq; hoc canticum primum in nouo Testamento: cuius typus fuit Canticum Mariæ sororis Mosi, quod cecinit in choro fœminarum, gratias agens Deo pro liberatione ex AEgypto, ante annos 1517.

Caniculares dies.

I. Nomen: Caniculares à Canicula nomen habent, quæ est stella illustris in ore canis maio-

maioris. Græci Sirium vocant ab exiccando & vrendo, quòd Soli cooriens inferiora hæc feruore suo exiccet, & æstum augeat.

II. Tempus: Initium et finis caniculariũ comprehenditur hoc versu:

Margaris os Canis est, caudam Laurentius adfert.

Incipiunt enim à Margaritæ die, qui 13 Iulij est, et desinunt in die Laurentij, qui 10 Augusti est.

III. Effectus: Ortus Caniculæ auget æstum, vrit et laxat corpora, vnde debilitas corporis, et morbi etiam consequi solent. Quocirca diæta conueniente corpus fouendum est, non fatigandum, neq; onerandum nimis. Tùm animus ipse à grauioribus curis, studijsq; seuocandus.

IIII. Prognosticon: Cicero de Diuinatione ait: Ortum Sirij obscuriorem, pinguiscilicet et concreto cælo, tempus graue et pestilens minari: Contrà verò lucidum, puro nimirum et tenui cælo salubritatem portendere.

ETESIÆ.

I. Nomen: Eteſiæ græca voce dicuntur venti annui, vel anniuerſarij, ſecundum Ciceronẽ. ἔτος enim annus eſt: vnde ἐτήσιος, id eſt, annuus: ex quo etiam appellantur ſtati venti, quòd eodem anni tempore redeant.

II. Qualitas: Sunt quidem Eteſiæ frigidiuſculi, ſed lenes tamen, calore nimirum Solis temperati.

III. Locus: Spirant ex Septentrione ſub polo arctico, liqueſcente ſcilicet niue & glacie vi Solis, ſecundum Ariſtotelem.

IIII. Tempus: Flant diebus quadraginta poſt ſolſtitium æſtiuum, quando exoritur Canicula, & Sol Leonem ingreditur. Qui verò venti octo diebus ante Canis ortum ſpirant, προόδρομοι dicuntur, ſuntq; ſomnolenti admodum, ſecundum Senecam.

V. Effectus: Leniunt flatu ſuo æſtum Canicułæ, adeoq; leni aſpiratione temperant feruorem Solis, qui tunc ſolet eſſe acerrimus, videlicet meſſis tempore. Ex quo etiam flatus eorum ſaluberrimus & gratiſſimus eſt viatoribus & meſſoribus.

Vſus

VI. Vsus vel allegoria: Quemadmodum Eteſiæ leni aſpiratione Caniculæ ardorem temperant: Sic Euangelium æſtum conſcientiæ in deſperatione & concurſu arumnarum ſuauiter mitigat & minuit, ne dolori ſuccumbat.

Stigelius.

Sedatur ceu ſtella Canis Borealibus auris,
Ne nimis altrices ſæuius vrat agros:
Sic Satanam diuina manus compeſcit hian-
Ne cœtus auido deuoret ore pios. (tem,

KILIANVS,
Octauo Iulij.

Kilianus natione Scotus à Pontifice Rom. Cunone Epiſcopus VVurcepurgi ordinatus eſt. Venit ergo in Franciam cum alijs duobus Sacerdotibus, Colonatho & Tothmanno, anno Chriſti 687. ac cùm ibi præconium Euangelij feciſſent, inceſtúmque Gotberti ducis, cum Gaylana fratris vxore reprehendiſſent, interfecti ſunt ſimul omnes abſente Duce, miſerandum in modum, fraude GAYLANAE, cui etiam lingua à ceruice

Dithmarg ps Merſ burgenſis l. 1 Chronici.

ceruice Chiliani reuulsa, exhibita est, vt contumeliam, quam sibi impositam falsò putabat, in ea vindicare posset. Non multò post Gaylana Gotbertum ipsum per seditiosos ministros interficiendum curauit. Ex quo non ipsa solùm, sed ministri quoq; tanti facinoris in furorem eiusmodi incide-runt, vt in seipsos seuierint, & horrendis mugitibus animæ & corporis saluti desperârint. Hic dies criticus est, vtpote cuius serenitas copiam, obscuritas inopiam vini indicat.

MARGARITA
XIII Iulij.

I. *Nomen: Margarita ex vnione nominatur, qui est Græcè* μαργαρίτης, *vel* μαργαρίτ, *vel etiam* μάργαρ.

II. *Genus vitæ: Puella fuit Antiochia, patre Ethnico nata.*

III. *Fortuna: Fidem Christianam amplexa primo ætatis suæ tempore. Ideoq; à patre ethnico tradita est nutrici educanda, vbi ouium custos facta est. Cùm autem annum ætatis decimum quintum attigisset:*

set: amare eam cœpit Olibrius, Capitaneus, vxoremq; expetiuit, verùm cùm repulsam tulisset, quòd Christianam se profiteretur puella, in carcerem conjecta est à Tyranno, & idolis sacrificare iussa. Quod cùm facere illa nollet, Christum solum se adorare dictitans, quæsiuit Olibrius: cur tu crucifixum colis? Respondit puella: Vnde tu hoc scis, quòd crucifixus sit Christus? Legi, inquit Tyrannus, in libris Christianorum. Et adeò obstinatus est animus tuus, ait puella, vt, cùm legeris, crucifixum esse Christum, non simul etiam illud legeris, quòd ex morte gloriosè resurrexerit, & regnet in æternum? Hoc sermone grauiter offensus Olibrius, nudam iussit puellam suspendere, cædere, lacerare crudeliter. Postea iterum producta, cùm idolorum sacrificia magno animo despiceret, candelis seu facibus ardentibus nudũ eius corpus ita cruciatum est, vt intestina comparuerint. Nec sic tamen furor Tyranni restinctus est: sed insuper etiam vasi, quod aqua frigida erat repletum, alligandam illam

cura-

curauit, tanta sæuitia, vt eam terra ipsa tremore suo manifesto refugerit, et miraculo ingenti circiter quinq; millia hominum astantium conuersi sint. Ad extremum igitur caput illi oportuit amputari. Dionysius Carthusanus in vita S. Margaritæ.

IIII. Effigies: Pingitur Margarita cum Dracone, qui diaboli imago est. Is enim in carcere absque dubio aggressus est, & tentauit puellam, ad defectionem impellere toto animo adnitens.

DIVISIO APOSTOLORVM, XV Iulij.

Hic dies destinatus est memoriæ diuisionis seu migrationis Apostolorum in omnes terræ partes. Cùm enim mandatum haberent à Domino Iesu Christo eundi in vniuersum orbem, & prædicandi Euangelium vniuersæ creaturæ: statim ab adscensione eius in cœlum, accepto S. S. paratos animos ad exequendum Christi præceptum habuerunt. Priusquam verò egressi & digressi sunt, vna mente & voce consense-

ſenſerunt in vnam formulam fidei Chriſtianæ, ad quam omnes conciones ſuas vnicè dirigerent. Hæc complexa eſt duodecim articulos, qui in ſymbolo Apoſtolico continentur. Hinc animis probè confirmatis exierunt alij ad Orientis, alij ad Occidentis, nonnulli ad meridiei, quidam ad ſeptentrionis regiones, vrbes, oppida, & inſulas, ac ſono, præconioq; Euangelij Dei orbis partes atq; angulos compleuerunt.

MARIA MAGDALENA, XXII Iulij.

I. Nomen: Maria ſignificat miſeriam, Jammer. *Magdalena dicta eſt à Magdalo caſtello, in quo nata fuit.*

II. Acta: Septem dæmonijs fuit obſeſſa, id eſt, adulterio, atque multis peccatis polluta & contaminata, ex quo publica peccatrix habita eſt, Lucæ 8. Plerique putant, fuiſſe Lazari ſororem, & eam ipſam mulierem, quæ in domo Simonis Phariſæi, Lucæ 7. lacrymis rigauit pedes Chriſti, capillisque capitis ſui exterſit, & deoſculata

lata eos vnxit vnguento: vbi cùm veræ pœnitentiæ & fidei fructus perspexisset Christus: conuersus ad eam, remissionem peccatorum illi pronunciauit, inquiens: Fides tua te seruauit: vade in pace. Etsi autem dilectio quoq; ibi commemoratur, tanquam caussa remissionis peccatorum: tamen sequens clausula: Fides tua te seruauit: satis ostendit, fidem solam esse caussam salutis. Dilectio verò effectus est, vel testimonium, vel fructus ex fide erumpens, eamq; declarans seu testificans, vt Theophylactus interpretatur. Post hanc absolutionem à peccato, secuta est Christum cum alijs pijs matronis, & ministrauit ei pro modo facultatum suarum, id est, liberali pectore cum illo communicauit facultates suas, nec postea ab eo discessit, cùm in cruce penderet.

Post Sabbatum verò prima ad monumentum Christi cum vnguento properauit, vt vngeret eum, vbi angeli nuncium ac testimonium accepit de resurrectione Christi.

Chri-

CHRISTINA, VICESIMO quarto Iulij.

Christina à Christo nomen adepta, acerba multa propter Christi confessionem perpessa est, tandemq́ in vrbe Tyro tyrannis tradita post horrendos cruciatus, capite multata esse dicitur.

Christophorus 25 Iulij.

Christophori imago grandis & insignis pictura est Christiani hominis, & Euangelici Doctoris, qui primùm debet esse Polyphemus siue Gigas, id est, animo inuicto atq; infracto Christum profiteri. Secundò, incedit per maris fluctus atque procellas, id est, versatur in hoc Mundo, periculis, certaminibus, & calamitatibus affluente. Tertiò, portat in humeris suis Christum, hoc est, profitetur doctrinam veram de Christo, vero Deo & homine, & simul etiam crucem, comitem Christianorum perpetuam, gestat. IIII. Arbore firmat atq; sustentat gressus, hoc est; in verbo Dei nititur omnis salus eius atque præsidium. V. Peram

Polyphemus viel herümbt/ oder ein Wunderman.

Adde his B. Lutherum pie hanc imaginem declarantem, Tom. 4. Witt. Germ. Concione quadam: quod crux recte ferenda. fol. m. 516.

ram habet à tergo pendentem, piſce & placenta refertam: quo ſignificatur victus copia, quæ deeſſe Chriſti profeſſoribus nunquã ferè ſolet. VI. Senex quidam præit, & face accenſa viam ei monſtrat: quo deſignatur Prophetarum doctrina, qui de Chriſti venturo vaticinati ſunt.

IACOBVS APOSTOLVS, XXV Iulij.

Nomen.

Iacobi nomen Hebraum, Latinis idem eſt, quod ſupplantator. Sic enim ab euentu nominat Patriarcham Iacobum mater ipſius, cùm ex vtero egreſſus fratris Eſaui plantam manu tenuit: quod ad Chriſtianos bellè accommodatur, vt qui ſatanam per Chriſtum vincunt atq; proſternunt.

Recenſentur autem duo Iacobi inter Apoſtolos Chriſti, Matth. 10. Vnus Zebedæi filius, aliter Alphæi.

Iacobus maior.

Iacobus Zebedæi filius, maior dicitur, & frater Iohannis fuit, cum quo in Apoſtolorum collegium à Chriſto cooptatus eſt ex piſcatione, Matth. 4. dictiq; ſunt ambo Boanërges, hoc eſt, tonitrui filij, à vi ſcilicet

&

& efficacitate doctrinæ Euangelicæ, quam professi sunt, quasi dicas, oratores tonantes ac fulgurantes, Mar. 3. spectauit Christum clarificatum in monte, Matth. 17. Documentum infirmitatis dedit, cùm à Christo petijt potestatem considendi ad dexteram aut sinistram in gloria illius cum fratre suo, Marc. 10. Curriculum in his terris breue illi tributum est. Nam cùm professus esset Christum, vsque ad annum eius XLIII, ab Herode Agrippa occisus est gladio Hierosolymis, Actor. 12. Euseb. lib. 2. cap. 9. Est autem digna recordatione historia de hoc Iacobo. Cùm enim ad tribunal duceretur, vt iudicis sententia damnaretur, motus est is, qui illum ducebat, sanctitate Apostoli, vt & ipse Christianum se profiteretur. Damnati igitur ambo cùm ad supplicij locum irent, Remitte mihi, inquit ille, qui ducebat Iacobum. Hic verò parumper deliberans, pax tibi, inquit, et osculatus illũ simul cum illo decollatus est, Euseb. lib. 2. cap. 9.

Alter Iacobus Alphæi filius Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ primus fuit. Cogno- Iacobus minor.

tur etiam iustus, & frater Domini, quòd propinquitatis aliquo vinculo ei coniunctus vel consobrinus fuerit, ex sorore Mariæ matris Domini natus. Rexit autem Ecclesiam Hierosolymis XXX annis, cumq; multi eius concionibus ad fidem in Christum conuerterentur, concitatum est in eum acerbum odium Scribarum et Pharisæorum, qui non quieuerunt priùs, quàm vel dolo vel vi eum è medio sustulissent. Itaque in templi pinnaculum statuerunt illum, & negare Christum crucifixum atq; resuscitatum, totius Mundi saluatorem, iusserunt. Ille verò de pinnaculo Christum constanti pectore & alta voce professus est. Iccirco præcipitárunt illum de pinnaculo furiosi Iudæi, & cùm ex lapsu illo nondum mortuus esset, ardenti fide pro hostibus suis precatus est. Precantem verò insana turba lapidibus necare studuit. Sed cùm ne sic quidem moreretur, accurrit quispiam cum fullonis pertica seu fuste, eumq; in caput illius impegit, ex quo mortuus martyrij coronam adeptus est. Anno Christi LXIII. Euseb. lib. 2. cap. 13.

Mors.

Huius

Huius memoria celebratur in Ecclesia Christi die XXV Iulij.

ANNA. XXVI Iulij.

Anna, gratiosa Latinè, vxor fuit Helcanæ, speculum piæ matronæ, quæ cùm sterilis esset, ardentibus precibus à Domino filium impetrauit Samuelem.

Alia Phanuelis filia Prophetissa, confessione sua Christum exhibitum confirmauit, Luc. 2.

Festa Ethnica.

Ludi Apollinares, V Iulij.

I. *Nomen habent hi ludi ab Apolline, cui honoris caussa facti sunt.*

Caussa: Inuentum fuit carmen Marci cuiusdam vatis perplexo scripturæ genere conceptum, quo Romani Ludos Apollini vouere iubebantur, si hostem ex agris & finibus suis pellere vellent: quòd is esset Deus, qui extingueret præduelles ipsorum posset,

& tranquillam libertatem præbere. Hinc Senatusconsultum tandem est factum, vt Apollini sacrũ quotannis fieret victoriæ causa.

Ritus: Immolabatur Apollini bos auratus cum duabus capris albis auratis: Latonæ verò matri bos fœmina aurata. Populus quoque stipem Apollini conferebat, coronatusq; ludos spectabat, matronæ supplicabant, & vulgo apertis ianuis in propatulo epulabantur. Liuius lib. 5. decadis 3.

NONÆ CAPROTINÆ,
7 Iulij.

I. Nomen: Caprotinæ nuncupatæ sunt à caprificо, ex quo signum victoriæ olim dederunt Romanis ancillæ.

II Causſa: Post captam vrbem, cùm finitimi populi omnes occasiones inuadendi nominis Romani captarent, postulatum est à Senatu Romano, vt si vellet reliquias suæ ciuitatis saluas esse, matresfamilias & virgines dederet. Hîc cùm distraherentur deliberando animi Romanorum: prodiit ancilla nomine Tutelæ, seu Philotis, quæ sponte policita est, se sumto fœminarum

narum et virginum habitu, cum cæteris ancillis ad hostium castra ituram esse. Quod cùm concessum illi esset, mox cum ancillarum turba ad hostes transijt, fictis lacrymis simulans, se à Romanis extrusam esse, vt hostium postulationi satisfieret. Hostes tot matrum & virginum aduentu lætati, statim eas in castra singula distribuerunt, & vino largiter sese repleuerunt. Cùm autem in somnum versi iam essent, ancillæ ex arbore caprifica, quæ castris erat proxima, signum dederunt Romanis, vt repentè impetum in hostes facerent. Quod vbi fecerunt Romani, hostes vino somnoq; grauatos oppresserunt, atq; superârunt. Hutus beneficij ancillarum memor senatus, omnes manumitti iussit, dotem ex publico eis fecit, & ornatum, quo erant vsæ, cùm ad hostes transierunt, gestare concessit. Macrobius.

III. Ritus: Propter memoriam huius facti sacrificium annua solennitate celebratum est, cui lac, quod ex caprifico manat, adhibebatur.

DIES ALLIENSIS, XVI Iulij.

Hic dies ater fuit primùm propter cladem, quam Romani ad Alliam fluuium à Gallis Senonibus victi, acceperunt, indeq; vrbem ipsam amiserunt, anno Mundi 3584. Ex quo etiam Allienſis dies est dictus, de quo Cicero ad Atticum lib. 6. Epist. 5 ait: Maiores nostri funestiorem diem esse voluerunt Allienſis pugnæ, quàm vrbis captæ, quod hoc malum ex illo. i I. Ob interfectos in hoc die 300 Fabios, ad Cremeram fluuium, solo superstite Fabio illo, qui postea Contator est dictus.

AVGVSTVS.

Hic mensis antè Sextilis appellatus, honori Augusti datus est ex senatusconsulto, vt ait Macrobius. Idq; ob duas causſas: primùm quidem, quòd hoc mense finem ille imposuit bellis ciuilibus: secundò, quòd annum à Iulio ordinatum, sed negligentia quadam conturbatum atq; confusum, in pristinum ordinem restituit.

VINCVLA PETRI.

Cal. Sext.

Herodes coniecerat Petrum in carcerem, vt

Digitized by Google

vt eum finito Paschate trucidaret. Ecclesia verò preces pro eo intentas & assiduas adhibebat Deo. Misit ergo Deus Angelum suũ, qui carcerem luce compleuit, Petrum dormientem suscitauit, & ex catenis solutum per medios custodes, vltrò aperta ianua, eduxit, Actor. 12. Huius diuinæ liberationis ex morte præsenti, memoria hoc die renouatur, primùm, vt gratiæ Deo agantur pro tanto, tamq; glorioso beneficio. Secundò, vt exemplum facti nos quoq; inflammet atq; excitet, vt in periculo quocunq; maiori fiducia præsidium atq; opem diuinam expectemus. Denique vt statutum omnino in animis nostris habeamus, Filium Dei Seruatorẽ esse nostrum, etiam cum in acie nouaculæ, hoc est, in summis angustijs versamur. Cæterùm instituit hoc festum Eudocia Theodosij Cæsaris coniunx, loco festi ethnici, quo memoria victi ab Augusto Antonij, & Cleopatræ renouabatur: Postquam ea Hierosolymis reuersa, catenas, quibus vinctus fuit Petrus, secum asportauit, anno Christi 439.

FESTVM PATEFACTIONIS Christi in monte Thabor, VI Augusti.

Calistus III, Pontifex Romanus collocauit in hoc die Festum patefactionis Christi in monte Thabor, anno Christi 1457, propter duas causas: primùm, vt historia de insigni & commemorabili patefactione Christi in isto monte quotannis repeteretur. Fuit autem Thabor mons mirae altitudinis in Galilaea, à claritate dictus, vtpote in quo filius Dei clarificatus est, & vox de cœlo sonuit: Hic est Filius meus dilectus, hunc audite.

II. Vt gratis animis renouaretur memoria victoriae, quam exercitus Christianus, repulsis Turcis ab obsidione Belgradi, consecutus est, anno Christi 1456.

DONATVS AFRA, VII Augusti.

Donatus: Primùm Diaconus, postea Episcopus est factus in Thuscia, & tandem imperantibus Arcadio & Honorio decollatus

tus est in carcere. Fuit etiam Donatus Grammaticus, præceptor Hieronymi. Is vixit Romæ, anno Christi 357.

Afra filia fuit regis Cypri primùm à matre tradita Veneri Romæ. Vnde Augustam Vindelicorum venit, & tandem deposita & abiecta impura & libidinosa vita à Narciſco Episcopo baptizata est, & vitam piam castamq; egit. Ad extremum verò propter Christi confessionem sub Diocletiano è duobus alterum eligere coacta fuit, vt vel abnegaret fidem Christi, vel tormenta exquisita subiret. Hîc cùm in confessione & cultu Christi perseueraret, contemtis & reiectis omnibus idolis, educta est ex vrbe Augusta in campum, & de arbore suspensa hoc die combusta est, pectore pleno fidei Deum celebrans, anno Christi 284. Nauclerus.

Ex hac Afranum cœnobium hoc in colle occidentali nominatum est, à Reinero præsule fundatum. Quod tandem anno Christi 1543. conuersum est in gymnasium Ludus illustris Mysnensis.

siue

siue ludum literarium, à principe Saxoniæ Mauricio: in quo supra centum discipuli partim nobiles, partim ex vrbibus Myſniæ missi aluntur & instituuntur liberaliter, ad communes vſus Eccleſiæ, aulæ & omnium partium Reipublicæ, siue ducatus Saxonici. Appellatur hic ludus à principe illustris, vel inclytus, vel ducalis, vel Electoralis, vel prouincialis, quòd toti inſeruiat prouinciæ.

Cyriacus, 8 Auguſti.

Cyriacus Latinè Dominicus à Domino nomen habet. Is Romæ Diaconus fuiſſe ſcribitur, cumq; dono Dei hoc ipſi tributum eſſet, vt dæmones eycere ex obſeſſis hominibus poſſet: in Perſiam ad regem vocatus eſt, & tandem ſub Diocletiano domum reuerſus, Martyr factus eſt.

LAVRENTIVS, X Auguſti.

I. Nomen: Laurentius ex lauro perpetuò florente nominatus eſt, quaſi floridus.

Genus

II. Genus vitæ: Diaconus fuit Romani Episcopi Sixti.

III. Acta: Ab hoc aliquando postulauit Decius Imperator, missis satellitibus, vt Ecclesiæ thesauros sibi concederet. Quod cùm durum esset, tridui spatium sibi dari petyt Laurentius, quò colligere thesauros Ecclesiæ posset. Interea vt tyranni velut hiantis cornui cupiditatem eluderet, pauperes, debiles, mendicosq; congregauit, eosq; redeuntibus Imperatoris satellitibus monstrauit, inquiens: En, hi sunt Ecclesiæ thesauri, quibus quicquid tribuitur, optimè collocatur. Sunt enim verè membra Christi, & templa Spiritus sancti, in quibus ipsemet Christus habitat.

IIII. Desiderium moriendi: Vidit Sixtum Episcopum rapi ad supplicium mortis, eoq; spectaculo sic incensus fuit, vt profusis lacrymis acclamârit ei, inquiens: O sancte Pater, quo abis, relicto post te filio tuo? Quò properas absque eo, cuius ministerio tanto tempore vsus es. Quòd si in ministerio Christi tam coniuncti fuimus,

quid

quid est, quòd nunc me mortis socium non admittis? Huic respondit Episcopus: Mi fili, non ego certè te desero: sed in ad certamen maius reseruaris: verùm non multò pòst tamen me sequeris. Desine igitur flere. Nam post triduum eandem ingredieris viam. Sed prius thesauros elargire pauperibus.

V. Exitus è vita: Cùm nec edictis, neque minis supplicij flecteretur Laurentius, carnificibus est traditus, & in craticulam ferream prolectus, vt succensis carbonibus lento igne assaretur. Cùm autem in craticula omnem feruorem ignis alacri animo sustineret, En, inquit, conuersus ad astantem Imperatorem, vnum latus iam satis est assatum: Cape igitur & ede, assaturámque verte. Quin etiam palàm professus est, non se torreri, sed refrigerari carbonibus. Hoc igitur supplicio tanquam vehiculo vsus ad cœlestem vitam migrauit, anno Christi 251.

ASSVMTIO MARIÆ, XV Augusti.

Hoc

Hoc die putant Mariam, postquam annos sexaginta tres viuendo compleuit, mortuam esse, & receptam in æternam Dei consuetudinem. Addunt etiam nonnulli in deductione funeris omnes duodecim Apostolos affuisse. Etsi autem piè in Christo absq; vlla dubitatione obdormiuit, & per fidem Christi in cœlum assumta est: tamen Pontifex Damasus Festum ascensionis Mariæ, anno Christi 364. in impium vsum instituit, vt in eo honos illi tribueretur, & preces adhiberentur, quæ soli Deo debentur: Iccirco etiam meritò reijcitur hoc festum. Nec de die mortis Mariæ quicquam certi habemus, præter id quod Eusebius scribit, eam anno Christi 48. ex hac vita migrasse ad filium. Quod eò factum esse certum est, vt à Maria ad solius Christi adorationem & cultum adducamur.

Bernhardus Abbas Clareualensis, XX Augusti.

S. Bernhardus natus anno Christi 1091. monasterium ordinis Cistertiensis ingressus est, anno Christi 1113. Ab eo dicti sunt

sunt Bernarditæ vel Bernardini, cuius ordinis sodalitates centum sexaginta constituisse fertur. Nil tamen ille differt à Cistertiensi, nisi vestitu nigro. Vitam egit sanctam & castam: ex nulla re maiorem voluptatem cepit, quàm ex Bibliorum lectione, pia meditatione atq; precatione. His medijs optimis & à Deo ipso ordinatis tantum profecit, vt in medijs tenebris pontificiæ Ecclesiæ plus lucis spiritualis adeptus sit, quàm omnes id temporis Episcopi atque Ecclesiastici. Cognouit enim & vsu expertus est in tentationibus, nos non nisi per Dei indulgentiam siue misericordiam consequi posse remissionem peccatorum, eámque fide accipi oportere. Et valde memorabile est eius dictum: Lauamur in baptismo, & sanamur in tota vita per verbum & Sacramenta. Item: Misericordia Dei in communi posita est, & offertur omnibus, & nemo illius expers est, nisi qui renuit. Vnde satis perspicitur, non procul eum abfuisse ab ea luce, quam Christi conciones & Apostolorum scripta præbent. Catera, quæ fabu-

fabulis, quàm factorum exemplis similia sunt, monachis autoribus vanis relinquantur. Mortuus est anno Christi 1153. ætatis suæ 63.

BARTOLEMÆVS,
XXIIII. Augusti.

I. Nomen: Bar filius est, Ptolemæus, bellicosus. Nam πόλεμος *sive* πόλεμος *bellum est. Prior vox Syra est, posterior græca, regibus AEgyptiorum familiaris,* Ein ſtreitbarer Sohn. *Nec mirum est, ex commixtione gentium externarum cum Iudæis, nomina quoq; peregrina in populo Iudaico hæsisse.*

II. Genus vitæ. Apostolus fuit Iesu Christi, missus ad prædicandum Euangelium in mundo.

III. Acta: Sparsit semina Euangelij in India.

2. Idolum Astarot in quadam Indiæ urbe, per quod diabolus responsa dabat hominibus, & morbos sanabat, quos ipse priùs illis afflauerat, edomuit & enerauit.

3. *Aliud idolum Beiereth, cum ex eo quæreretur, cur Astarot conticesceret, respondit: Bartolemæum suo aduentu tam Astarot, quàm omnia alia oracula Indiæ euertere, quod veri Dei minister & amicus esset.*

4 *Acclamauit Bartolemæo obsessus quidam voce magna: Tua Bartolemæe, Apostole Iesu Christi, precatio me totum consumit & destruit. Hunc increpans Apostolus, obmutesce, inquit, & discede ab homine.*

5. *Regis Polymij filiam lunaticam, et catenis vinctam liberauit ac sanauit, expulso diabolo, cumq; Rex dona offerret illi magna, abnuit.*

6. *Regem cum familia & subditis ad fidem Christi conuertit, ac baptizauit, ægrotos sanauit, idola detecit.*

IIII. Exitus è vita: Ad extremum inuidia sacerdotum Ethnicorum, dolentium iactura quæstus sui, accusatus coram Astyage, captus est: cumq; idolum Valdat adorare recusaret, accidit, vt subitò idolum illud comminueretur, quo exacerbatus Astyages

ſtyages primùm pugnis cædendum, mox excoriandum & decollandum Bartolemæum curabat.

V. Euentus poſt mortem: Poſt triginta dies à morte Apoſtoli diabolus inuaſit Aſtyagem in templo, omneſq; adeò Sacerdotes obſeſſi malis ſpiritibus miſerè torquebantur.

LVDOVICVS, VICESIMO quinto Auguſti.

I. Nomen eſt germanicum à Lud, ſeu Lyd, vel Leut, id eſt: populus, & VVick, id eſt, refugium, quaſi dicas, hominum refugium vel ſolatium, Leutroſt/ Græcè Demoſthenes. In Pontificia idolomania erat patronus Cythepſarum vel Cereuiſiariorum.

II. Perſona: Fuit Rex Galliæ ſanctus & religioſus, belláque geſſit contra Saracenos cauſſa recuperandi terram ſanctam. Vbi etiam diem ſuum obÿt, & inde in ſanctorum numerum relatus eſt, autore Schedelio.

AVGVSTINVS, XXVIII. Augusti.

Augustinus natus est anno Christi 355. Aetatis suæ anno 16. Carthaginem venit literarum causſa, & lecto Ciceronis Hortensio, Philoſophiæ ſtudio ardere cœpit. Inde in Manichæorum ſecta totos annos nouem conſumſit. In qua de Chriſto nihil aliud didicit atq; ſenſit, quàm de homine ſapientia admirabili prædito ſentire fas eſt. Mediolani profeſſus eſt Rhetoricen: & cùm Ambroſium audiuiſſet docentem, cœpit cum quibusdam viris Orthodoxis de ſuis erroribus & conuerſione colloqui. Hinc anno ætatis 32. baptiſmum ſuſcepit ab Ambroſio, cum quo etiam canticum Eccleſiæ compoſuit: Te Deum laudamus. Poſtea in patriam reuerſus, lectioni & meditationi ſcripturæ ſanctæ totum ſeſe dedit, & anno Chriſti 392. presbyter, tertio autem anno poſt Epiſcopus in Eccleſia Hipponenſi factus eſt, eiq; annis 40 præfuit, tam docendo, quàm ſanctè viuendo, profeſſionem ſuam ornauit, pro ſanis dogmatibus

tibus propugnauit voce & stylo, hæreticos confutauit, Manichæos, Arianos, Donatistas, Pelagianos acerrimè oppugnauit. Mortuus est anno Christi 430. quo Vandali Hipponem oppugnabant.

DECOLLATIO IOANNIS, XXIX Augusti.

Historia huius festi exposita est suprà in festo Iohannis Baptistæ.

Ethnica festa in Augusto.

Idibus Augusti erant feriæ Dianæ, venationum Deæ, cui faces ardentes offerebant, & canes infulis velatos sistebant. Ouidius: Ista coronat Emeritos Diana canes, & spicula tergit, Et tutas finit ire feras.

Eodem die festum celebrabatur seruorum & seruarum propter Seruium Tullum, qui hac die credebatur natus è captiua ancilla.

PORTVNALIA, XXVII Augusti.

Portunalia feriæ fuerunt à Portuno, vel Portunno Deo marino, portubus præfecto, dicta, cui ad pontem Aemylium, vel vt alij volunt, in portu Tyberino res diuina fiebat.

Mysteria magna, 20 Augusti.

Mysteria sacra erant arcana, quibus nullis, nisi initiatis, interesse licebat. Tanta cum reuerentia agebantur, vt antequam incoarentur, omnes profanos discedere oporteret. Tum quæ agebantur tanto studio celabantur & occultabantur, vt religioni contrarium haberetur quicquam foràs proferre. Erant autem duplicia: magna & parua. Magna quidem Cereri, parua verò Proserpinæ fiebant, et quidem in ciuitate Eleusine, quæ in Athenienſium prouincia erat sita. Vnde etiam Eleusinia sacra appellata sunt, quòd in templo Cereris & fano mystico, quod Eleusine fuit, peracta sint. Alij dicunt Minora mysteria celebrata esse Athenis in templo Bacchi, intra vrbem, in Lymnis.

CON-

CONSVALIA, XXI Augusti.

Consualia à Conso, quem consilij Deum fecerunt Romani, dicta sunt. Plutar. in Romuli vita ait: Consum esse Neptunum equestrem, cui Romulus sacrificium splendidum, ludos & spectaculum publicum ediderit, conuocatis ad id finitimis virginibus, vnde raptus virginum Sabinarum secutus est.

VVLCANALIA, XXIII. Augusti.

Vulcanalia feriæ fuerunt, quibus populus Vulcano animalia in ignem pro se misit.

SEBTEMBER.

September à frequentia seu copia imbrium nomen habere videtur. Non enim rarum est, septenario numero multitudinem notari. Vt sit September is, qui aëris turbationem, & pluuiæ copiam sub autumni initium adfert: quo præparari terra, & sementis fieri denuo possit.

ÆGIDIVS, I Septemb.

AEgidius natione Græcus, vixit circa annum Christi 715. vir liberali doctrina politissimus, vt Sigebertus scribit. Habetur eius dies pro critico, quòd ex eo iudicium, vel certè coniectura de tempestate autumni soleat capi.

SIMEON STYLITES, II Septemb. secundum Calendarium vel Menologium græcæ Ecclesiæ.

Simeon hic à columna nomen habet, in qua stetisse dicitur. Primùm in monasterio vixit annos 9. in curis & angoribus perpetuis sese exercens, atque fatigans. Deinde contulit sese in loca ardua & angusta, quæ styli seu columnæ sunt vocata: In his stetisse fertur annos 47. Corpus post mortem Antiochiam delatum est, ibiq; tanquam pretij magni thesaurus sepultum, vt scribit Euagrius, Cedrenus, & Nicephorus.

MARIÆ NATIVITAS, 8 Septembris.

Nata

Nata est Maria mater Domini circa annum mundi 3956. ex patre Ioiakim, qui annos 46. secundum Syrorum traditionem in coniugio sterili vixit, & tunc demum hanc quantiuis pretij filiam genuit. Pro hac natiuitate gratias Deo quidem agere debemus, sed adorare Mariam, aut Dei loco colere, idolatricum est. Cultus enim adorationis ad solum Deum pertinet.

GENEALOGIA MAriæ Matris Domini.

Matathias.

Iacob	*Helius seu Ioachimus*	*Elisabeth*
Ioseph	*Maria Christus.*	*Baptista*

Exaltatio crucis, decimo quarto Septembris.

I. Nomen: Nomen festi inde est, quòd hoc die, anno Christi sexcentesimo, vicesimo nono, Heraclius Cæsar crucem Christi recuperatam, solenniter Ierosolymam

reduxit & exaltauit, tum Patriarcham Zachariam in priſtinum ſtatum ſuum reſtituit. Fuit igitur pius huius feſti vſus, vt videlicet memoria tanti beneficij & victoriæ Heraclij conſeruaretur, & Deo gratiæ agerentur. Narrant autem, Heraclium ornatu regio voluiſſe humeris ſuis ſuſceptum crucis lignum importare in vrbem, ſed prohibitum eſſe, porta ſponte ſua occluſa. Itaq; admonitum haud ſcio, Angeline, an Zachariæ Patriarchæ voce, ornatum regium depoſuiſſe, & pedibus nudis ingreſſum eſſe, iterum ſeſe aperiente porta abſq; vlla hominum opera. Addunt etiam, Angelum dixiſſe: Cùm Saluator mũdi hanc portam ingrederetur, nullo ornatu regio incedebat. Quid igitur tu tibi vis?

II. Vſus: Imago crucis Chriſti eſt quidem ὑπόμνημα, *id eſt, commonefactio de Saluatore noſtro, qui in ligno crucis pependit: ſed veneratio & adoratio crucis eſt impia, quippe quæ honorem & cultum, Deo debitum, transfert ad lignum.*

Deinde

Digitized by Google

Deinde superstitio est diabolica, tribuere ligno crucis vllam vim aut efficacitatem, quæ nec naturâ ei inest, nec peculiari dono concessa aut infusa à Deo. Impium est igitur credere aut dicere, lignum crucis ζωοποιὸν, id est, viuificum, vt Georgius Cedrenus vocat. Tertiò, Crux Christianorum est miseria, inopia, odium, inuidia, impiorum contemtus, infectatio, morbus: non lignum, non lapis, non conficta aut ære, auroq; expressa siue sculpta effigies. Talem crucem nobis commendat & imponit Scriptura. Hæc salutaris est: quia reprimit flammas libidinis, cupiditatum, ambitionis, superbiæ, & aliorum affectuum. Nec est quòd quis fingat sibi aut attrahat illam: sua sponte obrepit & obruit nos, si modò Christiani reipsa sumus.

MATTHÆVS, VICESIMO primo Septemb.

1. *Nomen: Nomen est Hebraicum, græcè* Θεόδοτος, *vel* Θεόδωρος, *Latinè donatus*

donatus à Deo, Germanicè des HErrn gabe/ oder Gottes gabe. *Vocatur etiam Leui, id est, associatus vel adiunctus,* ein zugethaner. *Filius Alphæi, Matth. 2. est igitur* διώνυμος. *Tribuerunt autem homines sancti plerunq; liberis suis diuina nomina, partim vt de diuina origine commonefacerent, partim vt de officio siue actionibus toti vitæ congruentibus admonerent. Si enim non in cunctis, tamen in plerisq; probatur id, quod in versu dicitur:*

Conueniunt rebus nomina sæpe suis, id est, vita sæpenumerò respondet nomini, et quidem ipsi nomini omen fati inesse solet, id quod de Matthæo affirmari iure omni potest. Gessit enim nomen, rei seu conditioni & professioni planè conueniens: quippe qui singulari Dei munere atq; concessu tributus est Ecclesiæ Christi, vt Euangelij doctrinam in orbe terræ disseminaret atque propagaret.

II. Vocatio: Vocatus à telonio ad munus Apostoli in vrbe Capernaum, Matth. 7. priùs autem Leuita, vel vt hodie vocant, Cleri-

Clericus fuit: sed offensus atq; deterritus fortunæ tenuitate ad quæstuosius vitæ genus animum appulit, & scriba factus ministrum se præbuit Publicanis. Porrò cùm Publicanorum ordo malè audierit apud Iudæos, quæri potest, cur à telonio, id est, ex Publicani officina siue taberna euocatus sit ad Apostolatum Matthæus? Sed in promtu est quod respondeam. Publicani ipsi fuerunt viri graues, &, vt Cicero ait, flos Equitum Romanorum: inde nomen adepti, quòd vectigal populi Romani conductum habuerunt, secundum Ciceronem. Iudæis autem inuisi fuerunt, vel quòd graviter tulerunt censum templi à Romanis per præfectos vectigalium in singulis oppidis intercipi: vel quòd ipsi etiam Publicani duriores in exigendo fuerunt aduersus Iudæos. Talis verò Matthæus non fuit: sed bona fide absq; vlla dubitatione alicui Publicano seruiuit. Est & hoc consideratione dignum in vocatione Matthæi, quòd Christus ex organo tam rudi & inepto ad Apostoli munus Doctorem

tam

tàm præclarum & salutarem effecit. Quod etsi miraculum magnum est, & vix paucis contigisse in Ecclesia olim videtur: tamen idem Deus, qui iam olim elegit infirma mundi, vt confunderet fortia, nunc etiam per homines simplices, inopes, & inermes, opera eximia et omnium maxima in Ecclesia efficit.

III. Acta: Accepto cum cæteris Apostolis Spiritu sancto, in Iudæa primùm docuit Euangelium. Deinde peragrauit Asiam & Pontum, tandemq. venit ad Aethiopes, quos annos viginti doctrina Euangely rectè fideliterq. eruditit. Vnde ad hoc vsque tempus in Aethiopia sub pretioso Ioanne, reliquiæ Euangelij extant.

2. Euangelium Hebraicè, vt Nazianzenus, & cum eo Hieronymus censet, conscripsit.

ΜΑΤΘΑΙΟϹ μὲν ἔγραψεν ἑβραίοις θαύματα ΧΡΙϹΤΟΥ.

Matthæus Christi miracula scripsit Hebræis.

Narrat etiam Eusebius, Bartolemæum reliquisse

quisse Indis Hebraicum opus Euangelij S. Matthæi, idq; ibi repertum esse à Pantæno magistro Alexandrinæ Scholæ.

Verùm character ipse orationis, Marco finitimus, arguit, sermone græco ipsum exaraſſe potiùs Euangelium. Quod inde etiam elucet, quòd Apostoli ad gentes missi sint, & Iudæis multam salutem dixerint, posteaquam ipsi Euangelium repudiârunt.

Quòd si ad gentes Apostolorum doctrina pertinuit: consentaneum est, etiam gentili, id est, græca lingua Matthæum cum cæteris Euangelistis & prædicâsse, & conscripsisse Euangelium.

IIII. Mors: Capite multatus est in Aethiopia ab Hirtaco, quòd coniugiũ eius cum Ephemia dissuasisset, autore Abdia, et Iulio Africano. Contrà Niceph. lib. 1. cap. 1 narrat, Matthæum apud Anthropophagos in vrbe Myrmena munus concionandi clausisse, & ibidem clauis in terram defixum esse.

Assignatur Matthæo figura hominis iuxta visionem Ezechielis, qua Christi incarnatio denotatur.

AVTV-

AVTVMNVS.

I. Nomen: Autumnus græcè ὀπώρα à pomis seu fructibus scilicet, qui autumni tempore percipiuntur. Germanicè Herbſt / *quasi* Herbſ *acerbus seu* στυφνὸς.

II. Incipit ab ingressu Solis in libram, vel ab Æquinoctio.

III. Temperamentum. Temperies autumni inæqualis est, calore & frigore mixta.

IIII. Effectus sunt varij, boni & mali. *Boni sunt fructuum copia, unde à Poëtis pomifer, frugifer, & vinifer passim appellatur. Malì, vt morborum generatio, ex quo morbifer ab Hippocrate nominatur. Cauendus itaque est vsus fructuum crudorum, præsertim immodicus.*

S. MAVRITIVS,
22. Septemb.

Mauritius Dux fuit legionis Thebanæ in exercitu Maximiani, quæ Christum professa est, & ab idolorum cultu atq; sacrificijs studio ac voluntate abhorruit. Itaq;

Maxi-

Maximiani iussu primùm decimata est, postea cum duce suo Mauritio excruciata atque necata penitus circa annum Christi 186. Frisingensis.

Cyprianus 26 Septemb.

Cyprianus circa annum Christi 260 Episcopus Carthagine in Africa fuit, & propter constantem Christianæ religionis professionem, Valeriano & Gallieno imperatoribus, capite truncatus est, & martyrij coronam gloriamq; obtinuit.

MICHAEL, VICESIMO nono Septemb.

I. Nomen: Michaël est Hebræa dictio, latinè significans, quis sicut Deus, conueniens filio Dei, qui est ὁμοούσιος καὶ συναΐδιος Deo æterno patri, pari maiestate, potentia & gloria cum eo regnans, qui à Daniele appellatur magnus princeps, cap. 12. Solet autem Ecclesia Christi hoc die meditari & repetere doctrinam de Angelis, vnde & angelorum festum nominatur.

Angelus Græcè, Maleach Hebraicè, est nuncius seu legatus Dei, missus scilicet ad exequendum mandata Dei, & faciendum voluntatem eius, vt Psalm 103 ait.

II. Origo festi: Festum sancti Michaëlis Archangeli institutum est à Felice Romano Pontifice, circa annum Christi 480.

III. Definitio: Psalmus 114 vocat Angelos Dei spiritus, & ministros Dei. Item ignem flammantem. Ad Hebr. 1. appellantur ministratores spiritus, qui ministerij caussa mittuntur propter eos, qui hæredes sunt salutis. Est igitur angelus spiritus, vel essentia siue persona spiritualis, plena lucis & ignis, id est, ardoris & sapientiæ, condita ad ministerium Dei & Ecclesiæ.

IIII. Distinctio: Alij boni sunt, alij mali. Boni quidem, qui in statu integritatis, sanctitatis & perfectionis perseuerarunt: mali verò qui vel superbia, vel ambitione adducti, turpiter à virtutis curriculo deflexerunt, & facti sunt impuri, mendaces & homicidæ, hostes Dei & bonorum omnium.

V. Gradus: Alij nominantur Archangeli

geli, id est, principes angelorum, alij Angeli, alij Seraphin, id est, ardentes, vel quòd sint essentiæ lucidæ, vel quòd ardeant amore Dei & Ecclesiæ, Esaiæ 6. alij Cherubin instar puerorum florentes, Esaiæ, 37. alij throni, alij dominationes, alij potestates, alij principatus, Coloss. 1. quibus vocabulis vniuersa societas seu chorus cœlestis comprehenditur: alius nominatur Raphaël, id est, Medicus Dei, Tobiæ 3. alius Gabriel, fortitudo Dei, Luc. 1. alius Vriel, id est, lux Dei: alius Ieremiel: alius Sáalthiel.

VI. Numerus: Angelorum innumerabilis multitudo est, Dan. 7. Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Luc. 2. apparet cum angelo, nunciante pastoribus natiuitatem Messiæ, multitudo exercituum cœlestium laudantiu Deum. Eodem modo malorum spirituum ingens est multitudo. Nam interrogatus malus spiritus, Luc. 8. de suo nomine, respondit: mihi nomen est legio, quæ quinquies mille pedites, et trecentos equites Romano more continet. Ex quo quanta sit potentia & tyrannis diaboli, æstimari potest.

VII. Natura & actio bonorum & malorum Angelorum.

1. *Angeli boni in veritate, seu vera Dei agnitione & cultu perseuerant in omnem æternitatem: mali verò posteaquam semel defecerunt, furentes ambitione & superbia, manent hostes Dei, nulla spe salutis relicta.*

2. *Angeli boni sunt casti & veraces: mali verò impuri & mendaces.*

3. *Boni sunt custodes Christianorum, vnde pædagogi hominum vocantur ab Hebræis: mali verò oppugnatores, homicidæ, incommoda corpori & animæ importare studentes.*

4. *Boni grata Deo faciunt, & Ecclesiæ inseruiunt: mali verò ingrata omnia faciunt Deo, & nocent Ecclesiæ.*

5. *Lucta, prælium & bellum ἀγωνισμὸς est inter bonos & malos Spiritus. Et boni quidem dimicant, Duce Filio Dei: mali verò duce Dracone, Apocal. 12. Vt igitur tuti esse possimus à malis spiritibus, sanctis Dei angelis nos aggregemus necesse est,*

est, eorúmque præsidio nos tegi & muniri votis assiduis petamus. Tum ipsi etiam in hac lucta angelis patronis socias manus admoueamus, & vnà cum illis strenuè luctemur precatione diligente, & morum gubernatione accurata, secundum sanctum Dei verbum.

VII. Nota mali spiritus. Vocatur satanas, id est, aduersarius. Item diabolus, id est, calumniator, quòd & Deum apud homines, & nos apud Deum, & nos ipsos in communi societate calumnijs deformat, vt ait Chrysostomus. Item serpens antiquus, siue Draco, quòd eodem modo nos à simplicitate, quæ est in Christo Iesu, abducere conatur, quo Euam subduxit. Item tentator, quòd contra ordinationem Dei, & verbum ipsius nos insidiosè aggreditur, & ad faciendum contraria verbo & ordinationi Dei, irritat & impellit.

Item princeps huius mundi, κοσμοκράτως, à potentia incredibili, quam exercet in hoc mundo: Item rector tenebrarum huius

seculi, Ephesios 6. quòd in incredulis regnet. Item transformat se in angelum lucis. 2 Corinth. 11. id est, lucidi siue boni angeli specie dolos versat. Paulus tribuit illi μεθοδείας, assultus, id est, callidos & insidiosos impetus: item iacula ignita, & spiritualem malitiam, Ephes. 6.

IX. Arma Christianorum, quibus se defendere possint à malis spiritibus, comprehenduntur hoc disticho:

Arma gregis Domini, verbum, lacrymæq́,
precesq́,
Conscia nil sibi mens, dura parata pati.

Est igitur primum præsidium siue munimentum Christiani, verbum Dei, quo tanquam gorgone cœlesti terrentur & repelluntur mali spiritus. Secundum, lacryma seu gemitus, suspiria crebra & assidua, ad Deum concepta. Tertium, preces seu precatio diligens & assidua. Quartum, conscientiæ integritas. Quintum, patientia.

X. Finis: Tametsi spiritus mali iamdudum damnati sunt, & æternis pœnis adiudi-

iudicati, nec vnquam possunt redire ad sanitatem, & salutis fieri participes: tamen in extremo die tandem abijcientur cum incredulis & impijs hominibus in cruciatus sempiternos, & pœnas iustas grauesq; furoris sui persoluent. Huius supplicij metu & sensu incredibiliter tam tum anguntur, & quò propiùs à fine absunt, eò rabiosiùs sæuiunt, & omnia euertere, & abducere secum quamplurimos in æternos inferni cruciatus conantur. Contrà verò boni angeli comites erunt Filij Dei, venientis ad exercendum iudicium, & post illud cum eo, omnibusq; electis hominibus viuent in cœlesti consuetudine, perpetua lætitia fruentes, sine fine Deum videntes, sine fastidio amantes, sine fatigatione laudantes.

S. HIERONYMVS, XXX Sept.

Natus est Hieronymus Stridone, oppido Dalmatiæ, anno Christi 330.

PRImùm Romæ literas didicit, & Donatum audiuit, postea linguarum studio sese dedidit in Syria, vt Bibliorum

fontes propiùs aſpicere atq; intelligere poſſet. Romam reuerſus presbyter ordinatus eſt. Hinc inuidia falſorum fratrum pulſus paſſim præcipuos Eccleſiæ doctores audiuit, & in agri Bethlemitici quodam monaſterio Biblia interpretari atque explicare aggreſſus eſt. Certauit acriter cum Arianis, Iudæis & Ethnicis. Cum Auguſtino familiariter per literas contulit, & mortuus eſt anno Chriſti 420, Bethleemi, ætatis verò 91.

OCTOBER.

October à numero dictus eſt, quia octauus eſt à Martio. Conatus quidem fuit Domitianus è ſuo nomine Domitianum appellare: ſed quod cogitauit, efficere atq; obtinere non potuit.

FESTVM TVBARVM, I Octobris.

Iudæi mandatum habebant à Deo de ſanctificando feſto tubarum, primo die huius menſis: vt in eo conuenirent, nec opus ſeruile

uile ullum facerent, sed Domino sacrificarent, clangorem tubarum in memoriam redigentes. Est autem tuba absq; dubio ministerij Ecclesiastici imago, quod in nomine Christi pœnitentiam & remissionem peccatorum prædicat, secundum Esaiæ præceptum, cap. 58. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.

Dionysius, 9. Octobris.

Actorum 17. nominatur Dionysius Areopagita, hoc est, assessor iudicij in Areopago, siue Martis templo, in quo caussæ maiores grauioresq; cognoscebantur. Is Paulum concionantem Athenis audiuit: et cum cæteri Philosophi concionem de Christo crucifixo & resuscitato deriderent: ipse assensus est & credidit. Fertur Sophistæ cuidam, intuenti obscurationem Solis, quæ patiente & moriente Christo prorsus contra naturæ ordinem fiebat, respondisse: ἢ τὸ θεῖον πάσχει, ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει, *aut Deus patitur, aut patienti condolet. Eusebius scribit, hunc Dionysium sacerdotium Ecclesiæ Atheniensium suscepisse.*

Papir. Massonus l. 1 Annal. p. 69 & 70.

Festum expiationis, x Octob.

Hoc die præceptum erat Iudæis, Leuitici 23. vt animas suas ieiunio affligerent, & Domino sacrificarent. Erat igitur festum expiationis, quo facta est propitiatio coram Domino. Ieiunium autem aliud non erat, nisi vera contritio, fides, tolerantia in cruce, & beneficentia erga pauperes. His enim maximè Deus delectatur, vt propitius nobis fiat.

Affligere animas significat ieiunare.

Burcardus XIII Octob.

I. *Nomen: Nomen est Germanicum, à voce* Burg */ quæ est à græco* πύργος, *arx, &* hart */ id est, robustus seu robur.*

II. *Persona: Natione Anglus fuit, sed ex anglia euocatus à Bonefacio in Germaniam, cum eo Turingos & Hessos ab erroribus & cultibus Ethnicis ad salutarem Christi cognitionem ac fidem conuertit. Tandem verò Episcopus Wircepurgi factus est, anno Christi septingentesimo, quadragesimo sexto, eiq; muneri præfuit annos quadraginta tres. Etsi enim Kilianus, vt su-*

vt suprà dictum est, à Pontifice Herbipolensis Episcopus erat designatus: tamen è medio is sublatus est, nec Episcopatus Vurcepurgi fuit ante hoc tempus, quo S. Bonifacius eum fundauit, & S. Burchardum Episcopum fecit.

Quidam scribunt, Pipinum Regem Gallorum per donationem transtulisse ad Burchardum Franciæ ducatum, anno Christi 752. propterea quòd illius ope regnum Galliæ, reiecto Childerico, adeptus esset. Sed cùm dominatus politicus à Sacerdotis dignitate alienissimus sit: deploranda est potius hæc tristis metamorphosis Episcopi in ducem Franciæ, quàm verbis aut opinione extollenda. Si verò vtrumq; fuit, monstrum certè extitit ex rebus diuersissimis conflatum, quæ non conueniunt, nec in vna sede morari possunt: siquidem Christi asseuerationi locus est relictus, Luc. 22. Reges gentium dominantur, vos autem non sic.

III. Mors. Exacta ætate Episcopatu *sese abdicauit, & in castro* Hohenburg / *mortem cum vita commutauit, anno Christi 791.* Solen-

IIII. Solennitas: Solent passim in Germania, haud scio vnde ducta origine, in vigilia sancti Burchardi, anſere veſci, qui ob id Burchardinus appellatur, fortè quòd hoc tempore pingue facti anſeres maturi videantur, vel, vt memoria Burchardi hoc ritu cuſtodiatur.

Σκηνοπηγία, Feſtum tabernaculorum, XV Octobris.

Tabernaculorum feſtum à Tabernaculis ſiue ſcenis nomen habet, quibus Iudæi annos 40 totos in deſerto vagantes vſi erant. Durauit autem dies ſeptem continuos, iuxta mandatum Dei, quod extat Leuitici 23.

Vſus feſti: Primùm admonebat Iudæos mirandæ gubernationis atq; defenſionis in ſolitudine per tot annos. 2. imago erat Eccleſiæ, quæ in hoc mundo, tanquam in deſerto, ſiue exilio vagatur, nec ſedem ſtabilem habet, ſed votis aſſiduis cæleſtem patriam expetit. Quemadmodum Paulus 2 Corinthios 5 ait: Scimus, quòd deſtruc-

Digitized by Google

ſtructo terreno tabernaculo, habituri ſimus ædificationem ex Deo, domum videlicet non manu factum, ſed æternum in cœlis.

LVCAS, XVIII Octob.

I. Nomen: Lucas ſecundum Hebræam originem idem eſt quod receptus vel aſſumtus, Ein auffgenomener: *Secundum verò latinam illuminatus,* ein Erleuchter.

II. Perſona: Syrus fuit Antiochiæ natus, græci ſermonis peritus, & profeſſione medicus. Deinde Paulo Apoſtolo familiaris factus comitem ſe illi ac ſocium præbuit, in precatione & propagatione Euangelij, itinerum, laborum & ærumnarum eius partem ferens.

III. Acta: Peregrinatus eſt cum Paulo, docuit Euangelium, & reliquit duo volumina, non tam ſermone ipſo, quàm rerum ſeu factorum Chriſti dilucida & accurata expoſitione illuſtria. In horum altero res geſtas Chriſti bono ordine, & narratione conueniente, perſecutus eſt: In altero verò

acta

acta Apostolorum, quibus ipse non solùm interfuit, sed præfuit etiam, exposuit: quomodo videlicet per prædicationem Euangelij de crucifixo, & resuscitato Iesu Ecclesiam in terris collegerint, & multos ad societatem æternæ vitæ inuitârint, inter æruminas, peregrinationes, molestias & pericula quamplurima.

IIII. Effigies. Pingitur Lucas cum Tauro, qui imago est Sacerdotis in veteri Testamento, à quo orditur narrationem Euangelij sui Lucas, vt Christi victimam exprimat. Cuiq; Euangelistæ attribuitur peculiare animal. Matthæus habet hominem: Lucas Taurum: Marcus leonem: Iohannes aquilam, quibus præcipua Christi facta exprimuntur. Nam is, vt Hieronymus homilia quarta in Ezechielem interpretatus est, Homo est in incarnatione: Taurus in immolatione: Leo in resurrectione: Aquila in ascensione seu diuinitate.

V. Mors: Vitæ curriculo bene longo in his terris confecto mortuus est, anno ætatis octogesimo quarto, & sepultus Constanti-

stantinopoli. Iam ossa eius Patauij in templo Cathedrali S. Iustinæ dicuntur recondita esse.

Festum Palmarum, XXI Octobr.

Hoc die Iudæi litaniam canere soliti sunt.

Vrsula, XXI Octobr.

Vrsula Britanna fuit natione, ingenio & eruditione clara. Hæc cum mulierum multitudine magna ex Insula in Britanniam nauigare voluit, sed vi tempestatum vnà cum vndecies millibus vtriusq; sexus hominibus perijt, vt Balæus habet: cætera fabulosa sunt. Attingit Daniel Chamier epta 12 ad Petrum Cotonum, p. 118.

SIMON IVDAS, XXVIII. Octob.

I. *Nomen. Simon Hebraica est dictio, Latinè idem est quod auditor seu audiens. Ratio nominis exponitur Genes. 29. Vbi Lea, pariens Simonem filium, inquit: Quoniam audiuit Deus, quod odio habear ego. Simon Apostolus vocatur etiam zelotes, Luc. 6.*

Iudas quoq; hebraica vox est, Latinè idem

idem significat quod confessor, scilicet veri Dei, qui se patefecit in verbo et misso filio vnigenito. Ex hoc Iudæi cognominantur, quasi confessores Dei Abraham, Isaac, et Iacob. Iudas Apostolus vocatur etiam Lebbæus, id est, cordatus, vel sapiens: Item Thaddæus, quod vocabulum videtur esse Chaldaicum, et mammillam significare, Matth. 10.

II. Patria et parentes: Simon fuit natus in Cana, oppido Galileæ, Matth. 10. Filius Mariæ et Cleophæ, secundum Eusebium lib. 3. cap. 11. Iudas frater fuit Iacobi minoris et Simonis.

III. Professio & Acta: Apostoli fuerunt ambo, Matth. 10. ac Simon quidem peruulgauit Euangelium in AEgypto & Persia: postea Episcopus factus est Ierosolymis, suffectus Iacobo.

Iudas verò Euangelium docuit in Mesopotamia & Ponto. Item in Persia, cum fratre Simone. Epistolam reliquit, in qua pios in sana doctrina confirmare studet, & ad cultum pietatis hortatur.

Solen-

IIII. Mors. Ambo in crucem acti sunt sub Traiano, Euseb. lib. 3. cap. 32. Niceph. lib. 2. cap. 40. Estq; haec caussa, cur memoria siue celebratio horum Apostolorum in vnum diem incidat.

MARTYRES 16000.

30 Octob.

Historia tripartita lib. 3. cap. 2. narrat, Saporis Persarum Regis tantam fuisse sauitiam in Christianos, vt sub eius regno ad sedecim millia virorum ac mulierum martyrio coronati sint.

Festa Ethnica in Octobri.

Oschophoria 8 Octob.

Ὠσχοφόρια *festum Athenis celebrabatur, quo pueri ramum oleae gestabant, vuis, ficis & alijs fructibus onustum, quem* εἰρεσιώνην *dicebant. Inde Ramalia latini dixerunt.*

Ritus: Accedebant ianuis locupletum canentes carmen, quod εἰρεσιώνη *appellatur in vita Homeri, quam descripsit Herodotus:*

rodotus: muneraq; sibi dari petentes, qualia noui anni tempore apud nos ferè tribui iunioribus solent.

MEDITRINALIA, XI Octob.

Meditrinalia sacra fuerunt Meditrinæ Deæ, quibus vinum nouum & vetus libabant atq; degustabant, valetudinis, seu boni ominis causſa, pronunciatis hiſce verbis: vetus nouum vinum bibo, veteri nouo morbo medeor.

AVGVSTALIA, XII Augusti.

Augustalia ab Augusti Cæsaris redita in vrbem nominata sunt. Hoc enim die compoſitis rebus omnibus in Gracia, Aſia, Syria, Parthia, & Sicilia, Romam ingreſſus eſt, Cuius reditus tam felicis vt memoria conſeruaretur, ara fortunæ Reduci conſecrata eſt, & ludi Auguſtales quotannis peracti sunt.

Fonta-

FONTANALIA,
23 Octobris.

Fontanalia fontium sacra fuerunt, quibus putei coronati sunt, & coronæ in eos proiectæ.

ARMILVSTRIVM,
19 Octob.

Armilustrium festum fuit, quo rem diuinam faciebant armati, & inter tubarum clangorem sacrificabant.

NOVEMBER.

Nouember à numero dictus est, quasi nonus à Martio.

FESTVM OMNIVM SANctorum Calend. Nouemb.

Confer D. Gothofr. Cundicij Meletemata in Nahum Proph. conc. 4. exordio, p. 65.

I. Nomen: Festum inde nomen habet, quòd vt in alijs diebus Sanctorum singulorum: sic in hoc totius Sanctorum chori memoria celebratur.

II Origo: Romæ fuit templum, Pantheon, aller Götter Kirchē/*cognominatū.*

Hoc, tempore Phocæ imperatoris Romani, conuersum est in templum omnium sanctorum, à Bonifacio tertio Pontifice, anno Christi sexcentesimo octauo. Fuit itaq; hic Bonifacius ἔξαρχος, siue autor primus dedicationis templorum in Ecclesia Christi. Permisit quidem Constantinus primus Imperator Christianis, ut templa ædificarent, sed Deo, non sanctis ea dedicarent. Sunt enim κυριακοὶ οἶκοι: Kirchen / dominicæ seu Domini domus, propter Dei cultum, non hominum extructæ. Postea circa annum Christi 500. Cloduæi Francorum Regis coniunx ad fidem Christi conuersa, cœpit primùm Sanctis templa ædificare, ethnica quadam imitatione. Tandem verò, regnante Dagoberto, circa annum Christi 632. plurima templa passim & cœnobia extructa sunt, & Sanctis consecrata.

III. Vsus seu finis. καταχθονία *est horrenda, Ethnicorum more homines mortuos in Diuorum numerum referre, honoremq; & cultum Deo debitum illis tribuere. Iccirco vsus huius festi planè idolatricus*

eus est & impius: vtpote, in quo non tam memoria nominis Sanctorum celebratur, quàm cultus diuinus ijsdem exhibetur. Etsi enim meminisse sanctorum cum pietate & reuerentia iustum est: tamen adorare & inuocare eos, vt intercessores sint ad Deum, planè impium est: cùm vnus tantùm sit Mediator Dei et hominum, homo Iesus Christus, qui non est Stoicus aut inhumanus, sed mitis & humilis corde, Matth. 11. vocans & inuitans nos ad sese blandissimis verbis: imò etiam iubet nos rogare in suo nomine quæcunque rationes nostræ petunt, vt aliorum, præsertim mortuorum, intercessione haud indigeamus.

REFVTATIO ERRORIS Pontificij, de inuocatione Sanctorum.

1. Solus Deus est inuocandus, Deut. 6. Adorabis Dominum Deum tuum, & illi soli seruies.
Homo sanctus non est Deus.
Ergo Homo sanctus non est inuocandus.

2. *Abraham inuocauit Deum solum, non sanctos.*
Dauid inuocauit Deum solum, non sanctos.
Salomon inuocauit Deum solum, non sanctos.
Paulus inuocauit Patrem Domini nostri Iesu Christi, non sanctos: nec dissimile exemplum in scriptura reperitur.
Igitur solus Deus est inuocandus, non sancti.
3. *Inuocatio absentis tribuit ei omnipotentiam, quod audire et iuuare possit vbiq.*
Sancti homines non sunt omnipotentes.
Ergo non sunt inuocandi.
4. *Angeli nolunt adorari.*
Ergò minùs sancti sunt adorandi.

IIII. *Verus vsus memoriæ sanctorum in Ecclesia.*

Pium est & officiosum, meminisse Sanctorum, qui ex hac vita discesserunt, & in quietem beatam migrarunt. Primùm, vt σοχγὼν, *amorem & beneuolentiam nostram erga cognatos, benemeritos, & antecessores nostros testatam faciamus. 2. Vt pio sensu*

ſenſu atq; deſiderio eorum nos affici, & tamen quietem illis minimè inuidere declaremus. Iccirco quoties eorum recordamur, has ferè voces vſurpare debemus: quorum ſeu cuius memoria ſit in benedictione, ὧν μνημοσύνην ἐν εὐλογίᾳ. *vel noſtro more: cui ſit Deus propitius, piæ memoriæ, vel ſanctæ recordationis.*

Maledicere verò, vel detrahere mortuis, neq; ſanctum eſt, neq; humanum, ſed diabolicum: eſtq; hominis inconſiderati, & ipſa malenolentia ieiuni, mortuis detrahendo nomini ſuo gloriam aliquam quærere. Solon lege prohibuit mortuos contumelia afficere, propter tres cauſſas: Primùm, ὅτι ὅσιον τοὺς μεθεστῶτας ἱεροὺς νομίζειν, *quòd ſanctum ſit mortuos putare ſacros, vel inuiolabiles.*

Secundò, ὅτι δίκαιον ἀπέχεσθαι τῶν οὐχ ὑπαρχόντων, *quòd iuſtum ſit abſtinere ab ijs, qui non ſunt ſuperſtites.*

Tertiò, ὅτι πολιτικὸν ἀφαιρεῖν τὰς ἐχθρὰς τὸ ἀίδιον, *quòd ciuile ſit gerere inimicitias mortales, amicitias verò ſempiternas.*

3. *Vt exemplo eorum commonefacti & edocti ad imitationem extimulemur.*

V. *Martinus Lutherus hoc festo die propositiones contra indulgentias VViteberge ad ianuam templi arcis, anno 1517. hora duodecima, affixit, & publicè cœpit refutare impostoras & abusus Pontificios. Cùm quidem eodem festo in Ecclesia Pontificia indulgentiæ, turpis quæstus caussa, vendi solerent.*

Omnium Animarum, 2 Nouemb.

1. *Nomen huius Festi inde est, quòd Pontificij horribili audacia commenti sunt, animas corporum compage solutas igne purgatorio expiari oportere. Itaq; missas, vigilias, & alias ineptias excogitârunt, ad liberandum animas ex purgatorio, comparatas. Etsi autem singulis penè Missis, singulas animas iuuari finxerunt: tamen semel in anno pro omnibus defunctorum animabus rem sacram facere voluerunt, quò annis singulis gradu vno ex purgatorio ad quietem & vitam ascenderent.*

Ori-

II. Origo: Sanctus Odilo, Monachus S. Benedicti, cùm audiuisset aliquando miserabilem sonum, veluti gemitum & clamorem circa montem Aetnam, partim ex gemitu feruentis æstus maris, partim ex ignis eruptione concitatum, graui opinionis errore finxit, mortuorum animas ibi lamentari & eiulare, quibus dum succurrere studuit, Iusta defunctorum anniuersaria instituit, vnde festum omnium animarum natum est, circa annum Christi 998. Polyd. de inuent. lib. 6. cap. 9. Rudimentum nouitiorum tradit, anno Christi 1149, Tundalo obiectam esse speciem inferni & purgatorij, quod merum est figmentum.

III. Demonstrationes ex Scriptura sancta contra ignis purgatorij commentum.

1. Omnis homo aut credit, aut non credit, Iohan. 3. Qui credit & in fide perseuerat, est beatus & saluus, est liberatus ab ira Dei, & à maledictione, in iudicium non venit, habet vitam æternam, Matth. 4. Iohan. 3. 5. Qui non credit, iam est iudi-

catus, Ira Dei manet super eum, Iohan. 3.

Igitur nullus est relictus locus purgatorio animarum post hanc vitam, in quo eluantur aut expientur quadam crimina, quorum in hac vita non sit impetrata venia.

2. Anima cuiusq; hominis, nexu corporis soluta, aut in sinum Abrahæ portatur, aut in infernum detruditur: tertium nullum est, Luc. 16. Iam in Abrahæ sinu ignis purgatorius nullus est, neq; in inferno, quia illic non purgantur animæ, sed torquentur, nec spem elabendi vllam habent. Igitur purgatorius ignis post hanc vitam nullus est.

3. Pij discedentes ex hac vitâ migrant in beatam quietem, velut in manum Dei, dormiunt vsq; ad resurrectionem.

Absurdum est autem in Dei manu, in beata quiete, in somno collocare, aut fingere saltem ignem purgatorium, quem affirmat Augustinus tam esse grauem, vt omnem pœnam superet, quam homo vnquam est passus in hoc seculo.

Ergo pij non veniunt in purgatorium, neq; etiam impij, quippe qui ex inferno liberationem nullam expectare possunt. Ab-

4. *Absolutio à peccatis fit per ministerium verbi, iuxta institutionem Christi, Iohan. 20.*

Post mortem non est ministerium verbi, Ergo post mortem nemo potest liberari à peccatis.

5. *Peccata remittuntur pœnitentibus.*

In inferno non est locus pœnitentiæ. Igitur in inferno non remittuntur peccata.

6. *Viui non purgantur igni purgatorio, secundum Papistas.*

In extremo die multi erunt superstites viui. 1. Thessal. 4.

Igitur multi ante extremum diem non poterunt purgari igne purgatorio: Quæ ergo de illis spes erit?

7. *Pœna peccati pertinet ad corpus & animam. Sed purgatorius ignis non est corporis pœna, id enim quiescit in sepulcro. Non igitur purgatorius ignis post mortem esse potest ante extremum diem, quo corpus cum anima iterum coniungetur.*

Est autem commentum purgatorij totum ex Platonis Phædro & Gorgia, item ex somnio

somnio Scipionis, & 6. Virgilij sumtam. Ibi enim legitur, animas corporum nexu solutas à dæmonibus perduci alias in alia loca, prout quisq; pie vel sceleratè vixerit. Qui sanctitatem in vita coluerunt, iis facilis est in cœlum aditus. Qui verò sceleribus sese polluerunt, ij multis seculis in cœno volutantur, donec pœnas peccatorum suorum exoluant, ac alij quidem decem annorum millibus, alij breuiori tempore in Phlegetonte excruciantur, antequam purgati satis ad altiora ascendant.

Vindemia.

I. Nomen: habet à demendo vino, quando uuæ decerpuntur de vitibus. Graci carmen peculiare vsurparunt tempore torcularium, seu vindemiæ, quod vocârunt λήναιον καὶ ἐπιλήναιον, scilicet in honorem Liberi patris, qui Lenæus appellatur.

II. Vsus: Christianos decet, pio ac grato animo agnoscere atq; celebrare dona, non quidem Lyæi aut Bacchi, à quo nihil accepimus: Sed Dei nostri Saddai, id est, altoris, beni-

benignè, liberaliterq; nos fouentis, alentis & exaturantis. Tum orare etiam, vt eiusdem conceſſu atq; munere vti nobis liceat ſucco tam nobili & grato, non quidem ad luxum & voluptates, ſed ad corporis & animi recreationem: vt animum in angore exhilaret, corpus in languore & ſiti reficiat, et alimentum ſalubre præſtet.

III. Allegoria: Filius Dei, qui ſe Samaritano comparat, Luc. 10. infundit in vulnera hominis ſaucij & ſemimortui vinum & oleum, quo admonet nos de ſuaui συζυγίᾳ ſeu copulatione legis & Euangelij, quorum illa ſenſum peccati & iræ Dei, hoc verò leuationem & conſolationem viuificam adferat.

2. Chriſtus ipſe, Iohan. 15. vocat ſe vitem, Eccleſiam vineam, Chriſtianos palmites. Vt igitur palmitum ex vite naturalis eſt propagatio: ſic Chriſtiani à capite ſuo Chriſto vnicè pendent, ab eoq; ſuccum et vigorem, id eſt, gratiam et vitam omnem accipiunt.

3. Cum Propheta ex Pſalmo voti aſſiduis

prece-

precemur: Deus Zebaoth conuerte, respice de cælo vitem istam, & confirma eam, quam plantauit dextera tua: quod est, cura, foue, & serua Ecclesiam tuam, quam potenti manu tua condidisti, & deinceps sanguine pretioso filij tui redemisti, nec sine eam prædæ esse diabolis, aut deleri ab hostibus, sicut vites extirpantur à Turcis.

THEOPHILVS, 3 Nouemb.

Teophilus latinè amicus Dei.

Theophilus Antiochiæ Episcopus sextus ab Apostolis fuit, anno Christi 169. scripsit tres institutionum libros, & hæresim Hermogenis refutauit, testimonijs ex Iohannis reuelatione vsus, & alios institutionum libros post se reliquit, vt scribit Eusebius.

Leonhardus, 6. Nouemb.

Leonardus à magnitudine animi & robore ictus.

S. Leonhardus S. Remigij discipulus, primùm in cœnobio, postea in eremo vixit, circa annum Christi 501.

Memorabile est, quòd Bessarion Cardina-

dinalis dixit, non paucos se legere in diuorum numero cruce magis, quàm cœlo dignos. Quod eodem modo nos etiam de sanctis quibusdam à Rom. pontificibus consecratis non immeritò dixerimus.

Quatuor Coronati, VIII Nouemb.

Imperante Diocletiano, Asclepij statua Romæ erecta est, à quo morborum quorumcunque sanatio petebatur. Idq; factum est imitatione AEgeatarum in Cilicia, qua agrotos suos ad Asclepium detulerunt, & ab eo etiam sanati sunt. Noctu enim apparuit dæmon, & allatos agros sanauit, vt scribit Sozomenus lib. 2. Cap. 5. Hanc statuam iussi sunt adorare quatuor eximia virtute & dignitate præstantes viri, de Christianismo suspecti. Quod cùm constanter renuerent, simul trucidati sunt, & canibus proiecti ad lacerandum, autore Schedelio.

Theodorus, IX Nouemb.

Theodorus iussu Iuliani comprehensus & lo-

Digitized by Google

ris

loris verberatus est, tum testis etiam acutis latera eius perfossa sunt. At ille cruciatus omnes incredibili patientia, & animi robore exhausit atq; superauit. Iccirco non sine magna admiratione dimissus est. Interrogatus postea à Ruffino, quid animi habuisset in tam sauis verberibus atque tormentis, nunquid doloris sensisset? Respondit: Initio quidem doloris aliquantulum sentiebam: verùm postea astabat mihi adolescentulus, qui molli linteo sudorem de facie mea identidem abstergebat, &, vt animo præsenti essem, hortabatur. Simul ac verò carnificis manus cruciare me desyit, illius quoq; adolescentuli consolatio cessauit. Itaq; plus voluptatis ex carnificina illa, quàm molestiæ & acerbitatis cepi. Hæc sunt in Socrate, Theodoreto, & Ruffino.

MARTINVS, XI Nouemb.

I. *Nomen est Latinum, à Marte deductum, estq; idem, quod bellicosus,* Streitbar oder Manbarlich.

II. *Patria: Fuit Pannonius, ex oppido Panno-*

Pannoniæ Sabaria, non procul ab vrbe Posonio oriundus, à qua Sabariensis nominatur.

III. Educatio & studia: Educatus est Ticini in Italia à parentibus Ethnicis, sed animum suum inde vsq; à primis annis ad pietatis religionisq; Christianæ studium curamq; appulit. Id cùm pater ægrè ferret, militiæ Sacramento eum obligandum curauit in Gallia, sub Iuliano Imperatore. Hanc toto triennio secutus est, & cùm aliquando occurrisset ei mendicus, pallij sui partem communicauit cum eo. De militia ad religionis Christianæ cultum rediit, baptismoq; initiatus, Ecclesiæ cœpit seruire, duce Hilario Pictauiensis Ecclesiæ pastore, factus primùm exorcista, vel, vt alij volunt, Lector.

IIII. Professio: Episcopus tandem Turonæ in Gallia, anno Christi 376 designatus, bona fide & studio acri verbum Dei docuit, & idolomaniam Ethnicam refutauit. Nam zelo ingenti imagines idolorum taxauit, & iacto fundamento do-

Etrinæ sanæ, auditoribus suis autor fuit, vt statuas è templis euellerent, & cultus impios abolerent. Certamina etiam cum Arianis acerrima sustinuit, non sine vitæ & fortunarum periculo. Laudatur inprimis studium eius in conciliandis animis offensis et distractis.

V. Mors: Posteaquam Ecclesiam Turonensem annis viginti sex, non solùm concionibus sacris, sed Sacramentorum etiam legitima administratione, & visitatione, vt fidum Pastorem decet, pauit & rexit, mortuus est anno Christi 399. Arcadio & Honorio Imperatoribus. Cætera de Martino, quæ ex rebus fictis commentitysq; constant, prudens omitto. Satanas aliquando illi apparuisse dicitur veste pretiosa & regia. Cumq; taceret Martinus, dixit diabolus: Martine, agnosce quem colis: Christus ego sum. Vbi cum iterum sileret Martinus, addit Diabolus: Martine cur dubitas credere, dum me vides? Christus ego sum. Ad hoc tandem respondit Martinus; Christus non promisit se in purpura et regia

regio splendore venturum esse. Itaq; te non recipio, neq; fidem tibi habeo. Hoc audito, euanuit diabolus.

VI. Martinalia: In festo Martini moseſt anſere et muſto benigne liberaliterq; fruendi: Vnde & Martinianus anſer ille appellatur: & muſtum creditur mox ſequenti die in vinum verti. Hæc conſuetudo ſiue ab Aeſculapij feſto, ſiue ab alia ſuperſtitione gentili ad nos peruenerit: ex ea parte probanda eſt, quatenus modus edendi & bibendi cum quadam hilaritate adhibetur, abſq; luxu, ingluuie & turpitudine. Eſt enim hoc tempus hilaritati conueniens propter expreſſas iam uuas, & importatum vinum nouum ex vindemia. Nec tamen ſit hæc Martini celebritas, ſed honor & gratia omnis tribuatur Deo.

MARTINVS LVTHERVS.

Renouat eadem hæc dies Martini Lutheri memoriam, qui Islebiæ patre Ioanne, et matre Margarita, in vigilia Martini natus eſt, anno Chriſti 1483. Quare nō abs re crediderim nomen hoc, ex tempore illi eſſe indi-

tum. Lutherus verò Germanis idem est quod clarus, vnde cùm pro Matthiæ Racenbergij Medici filia in Baptismo fide juberet, & nomen infanti, ex more, quodcunque vellet, imponere iuberetur: de meo, inquit nomine nomen imponam: Clara vocetur.

Aetatis suæ anno 14. studiorum caussa primùm missus est Magdeburgum. Vbi cùm annum vnum in doctrinæ studijs consumsisset, Isenacum venit, & quadriennium ibi percipiendis artibus ijs, quæ ad dicendi scribendiq; facultatem ferunt, impertiuit. Memorabile est, quod Isenaci contigisse sibi ipsemet prædicauit. Cùm enim ibi canendo ostiatim victum conquireret, factum est, vt bis terve panis faustum abnueretur. Quod cùm mirum ei videretur, & insolens, quasi iam ab omnibus desertus esset, domum redire vacuus cogitauit. Vidit hoc mater quædam familias, quæ miserta illius, de cursu reuocauit, & panem impertiuit. Exemplum id esse iudicauit diuinæ prouidentiæ, quæ non sinat deesse panem scholasticis, qui

qui doctrinæ piæ & salutari studium suum dare constituerunt. Inde Erfurdiam commigrauit, & Magisterij gradum adeptus est, anno Christi 1503. ætatis verò 20. postea Iuris prudentiæ operam quidem dedit, sed ab eius studio fulmine deterritus est. Eo enim ita perculsus fuit, vt abiectis ciuilibus curis, totum sese Dei cultui tradere constituerit. Itaque ætatis suæ anno 22. monasterium Augustinianorum, quod est Erfurdiæ, ingressus, voto monachatus sese obstrinxit, & anno Christi 1507. celebrata Missa prima, sacerdotij sui, siue monachatus initia fecit. Nota est autem adhuc Erfurdiæ querela Martini Lutheri, quam habuit de fratrum suorum in se iniquo odio, inde orto, quod inuento quodam Bibliorum exemplari, quiescere non vellet, nisi totum perlegisset. Id ergo molestè ferentes Monachi, laboribus domesticis, quoad eius fieri potuit, à Bibliorum lectione illum abstrahere conati sunt. Fatetur autem ipse Lutherus, curæ sibi istam professionem magna fuisse, nec operas monasticas vnquam alio animo,

quàm pio & religioso obijsse, Missasq; zelo magno celebrasse.

Anno Christi 1508. vocatus VVitebergam cœpit publicè docere, initio Aristotelis Logicen & Physicen prælegens. Anno verò 1510. Romam missus est à Conuentu, propter Monachorum controuersias, vbi Papam Leonem & detestandum Missæ abusum conspicatus est. Anno 1512. Theologiæ Doctor, Principe Saxoniæ, Friderico, Sacri Romani Imperij Electore, D. Staupitio, & toto conuentu ita poscente, renunciatus est VViteberga, à D. Andrea Carolstadio in templo arcis, in die Luciæ. Mox sequenti anno, qui erat ætatis ipsius trigesimus, Scripturæ sanctæ libros interpretari cœpit, & primùm omnium Psalmos enarrauit, deinde Epistolam ad Romanos, & ad Galatas, item decalogi præcepta et Catechismum. Si quis autem quærat, cur tanta cum admiratione & applausu D. Lutheri doctrinã docti pariter et indocti sint amplexi: expedita est & vera responsio: Repudiatis & sepositis hominum siue Scholasticorum commentis

[illegible] 19 o[illegible] tobris, postri[illegible] Lucæ.

mentis, Biblia secutus est, & ex ijs vera & solida salutis siue doctrinæ Christianæ fundamenta potiuit, obsecutus Christi præceptoꝛ Scrutamini scripturas. Duce igitur Spiritu sancto, magistra verò scriptura, comite precatione eò processit, vt lucem à tenebris, diuina ab humanis, vel, vt sic dicam, grana à paleis separare posset. Ad summam, ne agam pluribus, primus extitit ex tam longo consertoq; Monachorum & sacerdotum agmine, qui ex fumo scholastico fulgorem Theologicum, et vere Christianũ redderet.

Anno Christi 1517. in vigilia omnium sanctorum propositiones contra indulgentias, siue condonationes, à Leone X promulgatas, à Tecelio autem Monacho in Germania prædicatas, foribus templi publicè affixit. Literis insuper ad Pontificem, & Albertum Archiepiscopum Moguntinum datis orauit, vt quoniam Ecclesiæ gubernationi præfecti essent, operam darent, vt homines per Euangelij doctrinam ad fidem in Christum adducerentur potiùs quàm per indulgentiarũ prædicationem ab eo alienarentur.

Hoc contra indulgentias scriptum fuit initium & quasi fundamentum & tuba prima salutis, i, e. emendationis veræ doctrinæ in Ecclesia. Per id enim à Pontifice ad Christum nos deduxit, & quod pretio ante oportuit à Pontifice emere, id gratis à Christo credentibus offerri atq; donari ostendit.

Anno 1518. Augustam ad comitia Imperij accersitus à Caietano Cardinali, vt reuocaret errores suos, summè solicitatus, erroris nullius se conscium sibi esse respondit, nisi conuinceretur. Dehinc scripta multa edidit.

Anno 1519. Lipsiæ disputauit cum Eccio de authoritate Romani Pontificis, de indulgentijs & pœnitentia.

Anno 1520. à Leone X. edita Bulla excommunicatus est. Ipse verò à Pontifice ad concilium prouocauit, & Papam primùm nominauit Antichristum. Tum ius Canonicum vnà cum Bulla pontificia exussit.

Anno 1521. VVormatiam venit ad comitia Imperij, vbi coram Cæsare, cunctisq; proceribus causam suam egit, suum illud summa constantia tenens, ne quid concederet,

deret, nisi scripturæ conuictus testimonijs. Inde dimissus, edicto Cæsaris proscriptus est. Iccirco Fridericus Saxoniæ dux, Imperijq; Elector, ex itinere eum curauit abducendum in arcem VVardpurgum, prope Isenacum, quam patmum siue eremum suam nominauit: vt ibi delitesceret, ne quæ aduersariorum inuidia ipsi noceret. Interea VViteberga Carolostadius iconomachiam suscepit, multaq; nouare, vel turbare potius instituit. Quæres Lutherum mouit, vt ex patmo VViteberga, multorum opinione citius, ad sedandum turbas accurreret.

Anno 1524. cucullum monasticum deposuit, sequenti verò, Missam latinam abrogauit, ordinationem ministrorum Euangelij in Ecclesiam reformatam inuexit, & vxorem duxit, vt omni ex parte declararet, se ab impio Papæ edicto, quod coniugium Sacerdotum damnat, perfugere ad diuinum mandatum, quod ad coniugium omnes homines hortatur, qui ad cælibatum non sunt idonei.

Anno 1530. dum Augustæ Carolo V.

exhibita est confessio, quæ vocatur Augustana, Lutherus in eremo fuit, hoc est, in arce Copurgensi. Hæc fuit ἐπίτασις suscepta à Luthero reformationis, in quo Euangelij veritas tanquam clarissima lux ex diuturnis tenebris erutа, in medio penè orbis Christiani, celeberrimo Imperij conuentu, inspectãte Romano Imperatore, Pontificijs, legatis, Cardinalibus, Principibus, & omnibus ordinibus, effulsit, vt iam ignorantiæ excusationi nullus sit relictus locus. Anno 1537. in conuentu Theologorum Augustanæ confessionis, Smalcaldiæ articulos proposuit, concilio, quod Mantuæ erat indictum, exhibendos.

Incidit ibi in morbum grauem & periculosum ex calculo: cuius curatio cum indies difficilior fieret, placuit principibus & Theologis Augustanæ confessionis, vt demum deportaretur, ne in conuentu, præsentibus Pontificijs legatis, qui eôdem missi erant, moreretur. Est igitur Smalcaldia delatus Tambachium, saltus Turingici pagum, vbi hospes anxia & solicita interrogauit

ganit eum, num quid cibi aut potus ſumere vellet? Reſpondit Lutherus, ita volo. Læta hoſpes quæſiuit, quo cibi genere potiſſimùm delectaretur? halece, inquit Lutherus, & piſorum pulmento. Mox apparatum cibum appoſuit hoſpes, & rubrum addidit vinum. His ſumtis, reſpirare ex morbo Lutherus cœpit, aperta ſcilicet obſtructione veſicæ, ex qua tantopere in diem vſq; vndecimum laborauerat. Hinc lætitia exultans gratias Deo egit, & in diuerſorij pariete ſcripſit: Tambachium eſt mea Phanuel: quia ibi apparuit mihi Dominus. Exijt ea nocte vrina tam copiosè, vt aliquot cantharos impleuerit.

Non Stoicus fuit, ſed verè humanus erga omnes, piè rectéq; ſentientes. Aduerſus fanaticos verò, pertinaces & Sophiſtas, durus & acer. Quanquam autem moderationem in eo multi ſapientes & eruditi deſiderârunt: tamen res cauſſaq;, quam egit, vehementiam aliquam poſtulauit. Nam vt in medicatione morbis grauioribus remedia valentiora adhibere neceſſe eſt:

est: ita in hac Ecclesiæ reformatione non absq; acriori stylo refutari & prosterni tam diræ Ecclesiæ Romanæ fulmina, totq; virulenta aduersariorum scripta potuerunt. Extat Epistola amici cuiusdam ad Philippum Melanchthonem scripta, qua petitum est, vt is ab acerbitate styli dehortaretur Lutherum. Sed respondit Philippus: Absit à me, vt talem huius viri spiritum mea voce vel infringam vel diminuam. Quo diuinitus regi atq; impelli Lutherum ad tanti negotij gestionem heroico quodam animo siue spiritu satis indicauit.

Si quisquam est, qui immoderationem laudis, vel, vt Poëta ait, κόμπυς τῦ λόγυ odit, ego sum: attamen hoc nihil dubitans confirmo, heroica fuisse & diuina plane Lutheri dona. Quomodo enim opus tantum reformationis doctrinæ in Ecclesia tam arduum plenumq; laborum, certaminum, & periculorum suscipere, tantoq; successu perficere potuisset, nisi diuino afflatu incensus, & heroico animi impetu impulsus fuisset? Aduersa habuit omnia, fulminantem Papam,

pam, proscribentem Cæsarem, frementes Cardinales, horrenda minantes principes, insectantes Episcopos, criminantes Monachos, ac totum agmen Pontificium. Tot tantasq; aduersationes animo forti contemnere, & nullo metu frangi, & à proposito honesto deterreri, an non animi robusti magnaq; constantiæ esse ducemus? Nihil dico de laborum magnitudine, quam tanti momenti negotium desiderauit, à quibus inuictū sese omnino præstitit. Superat eius virtus & industria omnem omnium Episcoporum & doctorum, quos vllo tempore inde vsq; à S. Paulo habuit Ecclesia, vim & præstantiam. Accesserunt ad hæc summa ornamenta & dona, virtutes aliæ, communes illæ quidem cum pijs multis, sed eximiæ tamen & prædicandæ: temperantia, castitas coniugalis, & despicientia rerum externarum, hoc est, diuitiarum, honorum, voluptatum. In scriptis eius elucent hæc ornamenta: ἀφνότης ἐν τοῖς λόγοις, Fuit enim vere ἀνὴρ λογιώ.

2. Dilucida & perspicua pro re nata breuitas. Copia

3. *Copia & grauitas & splendor tantus, vt artifex Germanici sermonis iure omni habeatur.*

4. *Fernor quidam spiritus, qui efficit, vt ardens ad lectorem penetret eius oratio.*

5. Δύναμις ἐν ταῖς γραφαῖς. *Nam ex scriptura omnis eius oratio tanquam ex sacro, vnico, caelestiq; fonte profluit, & vim roburq; accipit.*

Anno 1546. mortuus est Islebiae in patria, quò vocatus erat ad componendum controuersiae certamen inter Mansfeldiacos comites. Exijt autem è vita non alia mente & pietate, quàm verè Christiana, nec eam constantiam, quam voce & scriptis professus fuit viuus, in mortis agone abiecit, sed fidem in Christum, quem diuino successu docuerat & professus erat, in mortis certamine & extremo spiritu retinuit. Qui secus vel sentit vel dicit, hunc mendacij arguet & confundet in extremo iudicio patefacta veritas. Corpus eius Vviteberga in templo arcis sepultum est.

FRI-

Digitized by Google

FRIDERICVS, XIIII Nouemb. Græcè ἱερηναῖος.

Fridericus Traiecti Episcopus designatus in conuiuio admonitus est à Ludouico Pio imperatore, talem se praestaret in officio commisso, vt neq; metu periculi, neq; spe honoris aut commodi pateretur se flecti, aut de cursu honesto sanctoq; dimoueri. Cui respondit Episcopus, recte mones imperator. Verum dic mihi, in capite ne an in cauda satius sit piscem hunc, qui appositus est, prahendere? In capite, inquit Caesar. Ad eundem modum ait Episcopus, te quoque caput imperij primum omnium moneri, aquum est, vt ab incesto desisas, & Bauariae ducis filiam cognatam tuam dimittas. Hac libertate orationis minime offensus imperator mores correxit. Pontifex verò Romanus tantam in Episcopo ingenuitatem laud ferendam arbitratus, ad aliare eum interficiendum curauit. Historia est descripta à Ranulpho, & in Hirschaugiensi Chronico.

Sancta

Sancta Elisabetha, decimo nonò Nouemb.

I. Nomen: Elisabetha est Hebræa vox, Latinè significans idem quod quies Dei, vel quies donata à Deo, Gottes ruhe.

II. Patria: Fuit Andreæ Regis Vngariæ filia: nupta verò Ludouico Landgrauio Hassiæ, anno Christi 1211. Isenaci & Marpurgi habitauit, vbi cubicula eius reliqua sunt.

Dr fundasse hospitale Marpurgense. Abrah. Bucholz. ind. chronol. p. m. 383.

III. Mores & vita: Commemorabili pietate cæteras matronas anteiuit. Nam liberalitatem admirandam exercuit erga egenos, consolata est mæstos, visitauit ægrotos, humandos cum honore curauit mortuos. Baptismi fœdere sibi adiunxit pauperes, quò propensior in eos esset ipsius animus, & plus opis illis ferret. Vestes suas vendere maluit, quàm in egestate vllum deserere. Fertur, aliquando, cùm funus efferri vidisset nudum, peplo de capite suo detracto mortuum cooperuisse. Nec piguit eam nendo aliquid acquirere, quod pauperibus elargiretur. Cùm autem de obitu mariti eius in expeditione Turcica renunciatum

Digitized by Google

tiatum esset, indignis modis ab Henrico mariti fratre, fortunis omnibus spoliata est. Itaque Marpurgum in exilium mœrore & squalore confecta iuit, ibiq; mortua est anno Christi, milleſimo, ducenteſimo, triceſimo primo. 19 Novemb.

III. Memoria: A Gregorio nono pontifice in sanctorum chorum cooptata est, quò memoria eius perpetua esset in Ecclesia, anno Christi 1235.

PRÆSENTATIO MARIÆ, XXI Nouemb.

Hoc festum inde nomen habet, quòd Maria tres annos nata, ad Dominum à parentibus in templum adducta sit, ibiq; educata, secundum Gregorium Nyssenum in Oratione de natiuitate Christi.

CATHARINA, XXV Nouemb.

I. Nomen: Catharina à puritate & castitate nomen habet. Nam καθαρὸς est purus. AEgyptus per id temporis non habuit regem: Non igitur Catharina Costi Regis AEgypti filia esse potuit. Germanicè, Ein rein Weibesbild.

Vide XII e-plam Danie-lis Chamieri ad Petrum Co-tonum, p. 115.

II. Patria: Alexandriæ nata est patre Costo, quod vtrum ad Historiæ fidem, an ad Christianæ virginis effigiem scriptum sit, fortè non immeritò dubitari potest.

III. Educatio: In Philosophiæ studijs ab ineunte ætate nutrita est, & erudita. Postea ad agnitionem et fidem Iesu Christi conuersa, veræ religionis doctrinam studiosè percepit, adeoq; in ea confirmata est, vt contemnere etiam & refutare dissentientes sciret. Habet autem hoc studium in puella laudem quidem, si cum cura administrationis domesticæ rei coniungatur.

IIII. Acta: 1. Zelus. Cùm Alexandria sæuitiam immanem exerceret Maximinus in omnes, qui sacrificare Idolis recusabant: Catharina ardens zelo pietatis, vel sola resistere furori Cæsaris ausa est, non liberè solùm crudelitatem tyranni redarguens atque refellens: sed vinctos etiam, & sententia iudicum afflictos Christianos excelso animo consolans. Eaq; de caussa in carcerem quoq; contrusa est, & inedia septem dierum macerata. 2. Disputatio, Obiecta est

est Catharina quinquaginta viris, qui sapientia & eruditione cæteros anteire putabantur, vt cum illis de religione disputaret. Hîc cùm Philosophi omnes ingeny neruos contenderent, omnemq; vim artis suæ profunderent: Catharina non alio fundamento aut præsidio vtebatur, quàm sancto Dei verbo, quo omnem sapientiam humanam ita labefactabat, vt facilè se victos esse aduersarij sentirent & fatérentur. Itaq; cùm & ipsi Christum profiteri cœpissent: ad vnum omnes trucidati esse à Tyranno dicuntur.

3. Despicientia opum & honorum: cùm Maximinus illi honorem & locũ secundum à Regina, in palatio suo offerret, si idolis sacrificaret: magno animo has illecebras & blandissimas dominas contemsit & repudiauit.

4. Vis diuina: Vxorem Cæsaris Faustinam, qua media nocte ad eam venerat, & Porphyrium ducem ex diaboli faucibus ereptos, insciente cæsare, ad Christum conuertit, qui postea etiam, re comperta, gladio percussi sunt.

5. *Cum neq; promissis, neq; minis, neq; carcere flecti posset, rotis ex ferris ferreis et gladijs confectis eam comminuere atq; excruciare Cæsar voluit, sed frustra. Nam rotæ precibus Catharinæ, confractæ & dissectæ sunt, ita vt astantibus plus, quàm ipsi Catharinæ nocerent.*

VI. *Mors: Cùm data esset à Cæsare optio eligendi mortem vel sacrificium Ethnicum: mortem oppetere cum salute animæ & corporis æterna maluit, quàm Idolis sacrificium cum ignominia & iactura sempiterna facere. Iccirco ceruicem carnifici animo firmo præbuit, anno Christi 312. Cæterùm quod attexitur de lacte, quod effluxerit ex truncato eius corpore, Item de gestatione cadaueris per Angelos, & humatione Sinai, tralatitium esse videtur.*

VII. *Secuta post mortem: Superstitiosa vetustas retulit Catharinam in diuorum numerum, eámque artibus & Philosophiæ, loco Palladis Ethnicæ, præfecit. Occasio commenti inde captata est, quòd literarum & Philosophiæ studiosa fuerit Catha-*

Catharina, & verum eius vsum posteris Christianis omnibus ostenderit. Non enim Philosophiam sancto Dei verbo praeposuit aut opposuit, sed tanquam administram & famulam subiecit, vt tractationi doctrinae de Deo seruiret. Id quod suo nos docuit exemplo, cùm viros sapientes & eruditos, duce quidem sancto Dei verbo, sed pedissequa artium doctrina, confutauit & conuicit. Ex quo sanè qui verus Philosophiae & artium nostrarum vsus sit, perspicere possumus. Sed patrona iccirco studiosorum, aut praeses Philosophiae non est habenda: satis sit, eam ducem & magistram veri vsus Philosophiae celebrari.

ANDREAS APOSTOLVS, tricesimo Nouemb.

I. Nomen: Andreas est à Graeca voce ἀνὴρ, *Latinè est virilis vel magnanimus:* Mentlich oder Grosmütig.

II. Patria, parentes: Natus est in vico Galilaeae Bethsaida, patre Iona. Frater fuit Simonis Petri.

III. Professio: Prius piscator fuit:

Postea Iohannis Baptistæ discipulus factus est, à quo ad Christum dimissus, secutus est eum, adducto etiam fratre Simone, Iohan. 1. Ad munus Apostoli vocatus est à piscium captura, Matth. 4.

IIII. Acta: Accepto Spiritu sancto in Pentecoste, Euangelium docuit in Scythia, atq; etiam propagauit, iuxta Eusebium, lib. 3. cap. 1. Secundum Nicephorum verò, in Cappadocia, Galatia, Bithynia & Scythia.

V. Mors: Anno Christi octogesimo, imperante Vespasiano, in crucem actus est ab Aegeo, Edessenorum præfecto, in Achaia vrbe Patris. Vbi aiunt eum cum gaudio crucis supplicium subijsse, nec liberari inde voluisse, quamuis per plebem licuisset: sed insuper etiam de ea ad populum dies tres concionatum esse.

VI. Secuta post mortem: Addit Vincentius, Aegeum prohibuisse, ne quis Andream sepeliret, qui tamen subitò obsessus sit à diabolo, & mortuus in foro conciderit.

2. Andreas equitum aurei velleris tutelaris

laris diuus habetur: cuius festum statis solennibusq; ceremonijs ab ordinis huius equitibus celebratur.

ADVENTVS DOmini.

I. *Nomen:* Hoc festum nomen habet ab aduentu Christi in carnem. Etsi enim hoc die Christus homo factus non sit: tamen præparantur hoc tempore Christianorum animi ad sobriam vitam, piamq; meditationem sequentis festi, quo memoria natiuitatis Messiæ repetitur ac celebratur.

Agitur itaque Dominica prima aduentus de ingressu Messiæ in vrbem Ierosolymam, qui debuit esse testimonium in oculos incurrens, & conuincens omnes, verè aduenisse Messiam, & regnum suum spirituale in his terris incoasse, idq; secundum vaticinium Prophetæ Zachariæ, quò incitemur ad curam sedulam & piam excipiendi eum vero desiderio, fide, & amore.

Secunda Dominica agitur de aduentu eiusdem Messiæ in nubibus cum gloria & maiestate, ad iudicandum viuos & mortuos. Cuius meditatione incendi debemus ad studium totis animis optandi & expectandi liberationem vniuersalem ab omnibus miseriis, & reductionem in cælestem patriam, æternamq; consuetudinem cum Deo, beatis Angelis, atq; electis omnibus.

Tertia tractatur de aduentu Christi ad ministerium, cuius πρόδρομος erat Iohannes.

Quarta tractatur de præparatione ad Christi aduentum, secundum Prophetæ doctrinam: Parate viam Domini.

Festa Ethnica in Nouemb.

Soteria, V Nouemb.

Festi festa in honorē τοῦ διὸς σωτῆρος.

Σωτήρια *liberalia, festum Sicyoniorum, quo pro salute ab Arato Aegoorum duce accepta gratias agebant. Hoc enim die ex dominatu Macedonicorum Regum in veterem liberta-*

libertatem atq; dignitatem ab eo vindicati erant, circa annum mundi 3721. Cic. 2. Offic.

EPVLVM INDICTVM, siue epulum Iouis, Nonis Nouemb.

Soliti sunt Romani epulum præbere hoc die, placandi numinis causſa, in templo. Cui indicendo atq; apparando qui præfecti erant, epuloni antiquitus, poſtea epulones dicebantur. Meminit Cic. in 2. Philippica puluinariorum in conſecratione Cæſarus ab Antonio decretorum. Ex quo patet, lectos etiam eſſe ſtratos paſſim in templis Deorum, quibus ordine diſcumberetur. Hinc lectiſternia hæc conuiuia ſacra fuerunt appellata.

BRVMALIA, græcè ἀμβρόσια.

Brumalia à Bromio, hoc eſt, Dionyſio ſiue Baccho, qui & Brumus fuit dictus, appellantur. Alij à breuitate dierum dicta Brumalia volunt. His enim Romulus epu-

lam magnificè ſplendideq; apparatum, Senatui præbuit.

DECEMBER.

December à numero dictus, quaſi decimus à Martio fuit.

BARBARA, IIII Decemb.

Barbara Nicomedienſis virgo parentibus ethnicis nata, Chriſtianæ pietatis amore à primis annis ardere cepit. Quod vbi pater cognouit, carnifici eam tradidit torquendam, donec fidem Chriſtianam abiceret. Is itaque primùm loris illam cecîdit. Et cùm hoc tormento dimoueri à ſuſcepta religione non poſſet, manibus eam ſuſpendit, & faces ardentes admouit, tum vbera etiam præcidit. Sed ne hoc quidem modo abduci à fide Chriſtiana potuit. Quin dolorem illum maximum ſe ex tormentis omnibus capere dixit, quòd nudo corpore conſpiceretur. Itaque Deum exoraſſe dicitur, vt veſte alba tegeretur. Ad extremum patrem

trem obiurgauit pro sua in illum pietate, quo offensus ille suo gladio eam confodit. Autore Marullo.

NICOLAVS, VI Decemb.

I. *Nicolaus græca dictio, Latinè significat idem quod victor populi,* ein Herrscher des Volcks / *idem quod Nicodemus vel Demonicus, vel Demosthenes.*

II. *Patria: Natus est Pataræ, quæ est Lyciæ vrbs.*

III. *Studia: Pietatis studia tantopere amauit, vt cùm alij luderent, ipse in templi conciones audiret & repeteret.*

IIII. *Professio vel ordo: Priùs fuit priuatus seu paterfamilias bonus. Deinde ad Episcopi munus peruenit hac occasione: Mortuo Episcopo Myræ in Lycia, conuenit inter reliquos Episcopos & Sacerdotes, vt quicunque primus sequenti die templum ingrederetur, Episcopus designaretur. Dum itaque Nicolaus precandi caussa primus in templum venisset, omnium acclamatione & gratulatione Episcopus est salutatus. Etsi autem inuitus hoc munus*

suscepit

suscepit, vt qui ciuis esset & laicus, vt hodie vocant : tamen legitimæ vocationi obtemperauit, & probè diligenterq; hoc munere functus est. Floruit circa annum Christi 343.

V. Mores : Vixit temperanter & sobriè : liberalitatem insignem exercuit erga egenos.

VI. Mors : In morbum periculosum prolapsus accersiuit collegas et sacerdotes suos, exhortans eos, ne à pura sanaq; religionis doctrina deficerēt: nec longè pòst expirauit.

VII. Mortem secuta : 1. Sanctus Nicolaus patronus est puerorum puellarumq;, qui ieiunio & veneratione quadam eum colunt, vt munera ab eo accipiant in vigilia festiuitatis. Estq; ea opinio inde nata, quòd S. Nicolaus dotem confecit tribus filiabus cuiusdam egeni ciuis, nobilibus quidem, sed dote carentibus, hoc modò : Conieeit crumenam pecunia refertam clàm, noctu, per fenestram in cubiculum patris earum, vt in matrimonio collocare eas honestè posset. 2. S. Nicolaus est Patronus nautarum ie-

circo,

circo, quia aliquando in nauigatione ex Lycia in Aegyptum, magnam & turbulentam tempestatem precibus suis sedauit.

Anno Christi 807. Aaron Saracenorum Amiras, despoliata Rhodo, etiam Myrae, S. Nicolai feretrum comminuere voluit, sed subita tempestate repressus est, vt pauci de eius exercitu euaserint: Cedreno autore.

CONCEPTIONIS MARIÆ;

VIII. Decembris, confirmatum in concilio Basilienſi, anno Christi 1441.

Certamen fuit acre de Maria, matre Domini, vtrum absq; originis peccato concepta sit, nec ne? De qua quaestione Synodus Basilienſis statuit, sentiendum esse omnino singulari quodam priuilegio absque peccato conceptam illam esse. Huius decretum sequuta facultas Theologica Moguntinae Academiae, item Parisienſes & Colonienſes Theologi, idem statuerunt, anno Christi 1501. cùm tamen ex sancto DEI verbo apertum sit, nullum mortalium omnium

mnium absq; labe originis concipi ac nasci, præter vnicum & solum Iesum Christum, de Spiritu S. conceptũ absq; virili semine.

IOACHIMVS, IX Decembris.

S. Ioachimus Abbas vixit in Calabria, circa annum Christi 1186. Spiritu fatidico futura aliqua prædixit, quæ partim euentus comprobauit, partim improbauit. De Antichristo equidem interrogatus, quando venturus esset? Respondit: Iam dudum Romæ illum natum esse, & iam dominari maximè efferentem sese supra omnem, qui dicitur Deus, autore Balæo.

Ioachimus Camerarius.

Natus est Ioachimus Camerarius anno Christi 1500. in oppido Franciæ Bamperga. Cuius ætas prima incidit in præceptores eos, qui repudiata barbarie ad renascentem literarum lucem totis animis spectabant. Qualis erat Richardus Crocus, Iohannes Mezlerus, Petrus Mosellanus.

Horum

Digitized by Google

Horum igitur ductu politiores literas ipse quoq; amplexus est, & coluit per omnem vitam. Ac primùm quidem Erfurdiæ doctrinam græcarum literarum professus est, & priuatim aliquot adolescentes erudijt. Postea VVitembergam profectus, Philippo & Luthero carus esse cœpit: atq; adeò non ab his solùm, sed ab ijs etiam, quicunq; de ingenijs iudicare potuerunt, certatim in familiaritatem receptus est. Anno Christi 1526. Noribergam vocatus, docendi munus illic suscepit. Inde Tubingam accersitus multum ad illius Academiæ statum ornandum atq; amplificandum contulit. Tubinga Lipsiam suasu Melanchthonis venit, ibiq; operam, studium, fidem, industriam, ad vitæ finem vsq; in explicandis latinis & Græcis autoribus nauauit. Mortuus est anno Christi 1574. ætatis verò suæ 74.

Impressit autem Academiæ Lipsiacæ vestigia iudicij & grauitatis, nunquam intermoritura, & documenta post se reliquit moderationis, patientiæ, constantiæ, & reliquæ

liquarum virtutum mitiorum, ad omnium posterorum imitationem exposita. Nec tam doctrinam literarum propagare studuit, quàm morum & disciplinæ decus tueri. Leuitatis verò, arrogantiæ, ambitionis, auaritiæ crimen odit. Denique cum Musis Atticis etiam τὰς χάριτας, quoad seculi labes atq; insolentia passa est, importare conatus est.

LVCIA, XIII. Decemb.

I. *Nomen & Parentes: Lucia à luce appellata est. Virgo fuit formosa & pia, filia Eutychiæ viduæ in Sicilia.*

II. *Vita: Desponsa filii quidem iuueni præclaro, sed incensa confessione & morte Agnetis, qua familiarissimè vsa erat, persuasit matri, vt bona sua pauperibus elargiretur, crebris sermonibus vsurpans hoc aureum dictum: Sacrificium Deo gratissimum est, visitare pupillos & viduas in tribulatione earum. Quod cùm molestè ferret sponsus, accusauit eam Christianismi coram iudice Paschasio. Is ergò comprehendi Luciam, & nisi idolis sacrificare vellet, ad lu-*

ad lupanar trahi iussit: cui respondit puella: non expugnabitur neq; violabitur pudicitia, vi illata; dum mentem à turpitudine integram seruo. Cùm verò educenda esset, loco moueri non potuit, neq; cùm in ignem conijceretur, vri, neq; cùm gladio feriretur, occidi, nisi priùs sumto de manu sacerdotis viatico, nempe corpore & sanguine Christi, anno 310. Historia Lombardica.

HYEMS.

I. Nomen: Hyems Hebraicè Careph à probro, quòd Hyemis frigore & sæuitia arbores & plantæ deformentur. Græcè χεῖμα à tempestate turbulenta & molesta, Germanicè Winter *à ventorum vi & copia, quia Boreas, & Cecias perflant à Septentrione.*

II. Tempus: Incipit hyems ingrediente Sole in Capricornum, quando Solstitium est hybernum, & Sol est in Perigeo eccentrici, proximus quidem terris, sed quia radios obliquos in nostrum Horizontem

ſpargit, nec diu commoratur in noſtro hemiſphærio, calorem præbet debiliſſimum, & diem facit breuiſſimum.

III. Temperamentum. Hyems frigida eſt & humida, ſuperante ſcilicet, frigiditate caliditatem, et humiditate ſiccitatem. Pulcrè autem natura ſignorum Zodiaci cum qualitatibus partium anni congruit. Verì enim præſunt Aries, qui eſt ſiccus, terramq́ deſiccat, vt proſcindi ager & ſementis fieri poſſit. Arietem ſequitur Taurus, itidem ſiccus, vt ſementi inſeruiat. Cumq́ humectatione ſemen ſparſum indigeat, vt enaſci poſſit: additæ ſunt Tauro Hyades, & Pleiades, vt pluuias cieant. Deinde opus eſt calore. Iccirco cum Sole Gemini fouent terram, vt creſcere latiùs ſata poſſint. AEſtati verò præſunt primò Cancer, qui humidus eſt, vt rigare ſata, ſeu res naſcentes poſſit. Secundò Leo, qui calidus eſt & ſiccus, vt calore maturentur ſegetes: Tertiò virgo, quæ temperata eſt, & æſtum mitigat.

Autum-

Autumno præsunt primùm Libra, quæ est aërea, ideoq́; temperat aërem, vt ad sementem denuò præparetur terra. Secundò, Scorpius, qui humidus est, vt humectare terram & sata possit. Tertiò, Sagittarius, qui frigore, geluq́; terram operit, ac niue sementem calefacit. Hyemem denique regunt, primùm Capricornus, qui terram cohibet, vt velut in sinu suo foueat sata. Post hunc Aquarius & Pisces humidi largis niuibus terram humectant, vt tanquam potu copioso vires eius reficiantur.

IIII. Effectus: Tegit & claudit terram niue & frigore, impedit nauigationem, turbat auium cantum, efficit inertes, inducit somnolentiam, auget phlegma & melancholiam: sed excitat simul etiam homines ad studia laboresq́; professionis propriæ obeundos.

LAZARVS, XVI Nouembris.

Lazari memoria hoc die repetitur, qui post mortem à Christo in vitam reuo-

catus est, & totidem annos post resurrectionem vixit, quot ante eam compleuerat, nempe 30. secundum Epiphanium. Fertur autem docuisse Euangelium Massiliæ in littore Galliæ. Schedelius scribit eũ anno Claudij Imperatoris 13. secundam mortem obyisse.

ENCÆNIA, VEL DIES Consecrationis templi, vicesimo quinto Decemb.

I. Nomen: ἐγκαίνια *latinè renouatia, Festum dedicati templi: ex quo etiam dedicatio templi appellata est, nam* ἐγκαινίζειν *consecrare significat atque dedicare, Germanicè* Kirchmeß oder Kirchweihunge/ *à voce* Kirch/ *quod est,* κυριακὸν, *Domini domus, & missa, id est, sacrificio, quod adhiberi consueuit. Paganalia* Dorffkirchweihe.

II. *Origo: Primus templum dedicauit Salomon, 1. Reg. 8. Deinde repurgatum templum ab Ethnicis idolomanijs iterum dedicauit Iudas Maccabæus, lib. 1. Maccabæorum, cap. 4. Anno Christi 312. cùm Christi-*

Christiani, imperante Constantino Magno, à diuturna tyrannide et afflictione liberati, tranquillitatem aliquam nacti essent, diem certum ordinarunt, quo memoriam tanti beneficij renouarent, Deoq; coniunctis votis gratias pro concessa pace agerent, ac in posterum etiam regi ac defendi à Deo Christianum cœtum peterent. Is dies erat festus, & vocabatur Dedicatio Templi seu Renouatio, id est, memoria & celebratio dedicati templi.

III. Ritus: Celebrata est Encæniorum festiuitas quotannis octo continuos dies, instituto Iudæ Maccabæi. Vt autem Salomon Rex & omnes filij Israël domum Domini dedicarunt, ardentibus precibus sese salutemq; suam Deo commendantes, et hostias ei offerentes: Sic posteri omnes pijs precibus et sacrificio laudis, hoc est, gratiarum actione has ferias celebrare debent. Porrò quemadmodum in sacrificijs olim conuiuia hilari et læto animo agitata sunt, id quod Salomon etiam factitauit: sic per-

acto Dei cultu in templo, conuictu liberali & hilari in Encæniis vti consueuimus.

IIII. Finis: Encæniorum finis est, vt memoria celebretur dedicati & defensi templi ac verorum Dei cultuum, cum gratiarum actione pro tanto beneficio conseruatæ Ecclesiæ & verbi mirabiliter, inter tot pericula, mutationes & calamitates. 2. Vt petamus ardentibus votis, vt in posterum quoque talem se nobis præbeat Deus, qualem iam antea præstitit. 3. Vt testemur, nos vero desiderio teneri futurorum Encæniorum in æterna vita, ad eaq; nos pœnitentia & fide præparemus.

DE BRVMA.

I. Nomen: Bruma est breuissima anni dies, βραχὺ ἦμαρ, *horas septem cum minutis triginta in hoc nostro climate complectens. Fit Sole ingrediente Capricornum: Vnde & Solstitium hybernum appellatur. Item* τροπὴ, *id est, conuersio. Numerant enim græci quatuor* τροπὰς

seu

seu conuersiones in quolibet Anno: duo Solstitia, hybernum & æstiuum: & duo æquinoctia, vernum & autumnale. Cicero: Solis accessus, discessusq; fit brumis atq; Solstitijs. Dicitur autem solstitium quasi Solis statio. Nam circa solstitia tam tardè procedit Sol, vt non facilè eius declinatio intra octiduum animaduerti possit. Conuersio verò nominatur, quòd se Sol vel à Septentrione conuertat ad Austrum, quod fit in Solstitio æstiuo: vel ab austro ad Septentrionem, quod fit in Solstitio hyberno. Est autem bruma imago breuitatis vitæ, & diuturnitatis afflictionum atq; ærumnarum. Dies enim vitæ, nox verò crucis typus est.

11. Locus Solis: Sol in bruma 41624. milliaribus germanicis propior est terræ, nempe in Perigeo orbis Eccentrici, quàm in solstitio æstiuo. Vnde etiam corpus eius apparet maius quàm in apogeo, siue solstitio æstiuo. Demittit enim seſe hoc tempore, & radios ex obliquo spargit. Et hæc ipsa radio-

rum obliqua ſparſio cauſſa eſt, vt languidius etiam calefaciat terram. Non aliter Chriſtus verus iuſtitiæ Sol, ſecundum Malachiam, tametſi in rebus duris & aſperis, opinione noſtra, abeſſe interuallo longiſſimo videtur: tamen proximè adeſt, ſicut Pſalmus 91 affirmat: Cum ipſo ſum in tribulatione. Cauſſa eſt, quia præſentiã ſuam diſſimulat, & opem ſæpe differt ſtans poſt parietem noſtrum, proſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos, vt in Cantico Canticorum, cap. 2 ſcribitur.

III. Qualitas aëris: Frigus eſt aſperum, gelu & niue rigent omnia, totaq; naturæ facies in luctu & ſqualore eſſe videtur. Ad eundem modum crux Chriſtianorum eſt horrenda & ſqualida, vt quicquid aſpicis, id tetrum & horrendum appareat.

IIII. Conuerſio Solis admonet nos de Conuerſione Dei ad peccatores agentes pœnitentiam: et viciſſim de conuerſione noſtra ad ipſum, de qua Propheta Ieremias ait,

cap.

cap. 31. Conuerte me, & conuertar. Item: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.

V. Halcyonides vocantur dies quatuordecim, quorum septem antecedunt, septem verò consequuntur Brumam. Per eos mare, alioqui turbulentum, placidum & nauigabile est. Nomen verò habent ab aue, quæ halcyon, Eißvogel, appellatur, quasi ἐν ἁλὶ κύουσα, in mari pariens seu fœtificans hisce diebus. Est autem Halcyon imago Ecclesiæ nidificantis siue militantis in medijs fluctibus, procellis & tempestatibus, sæuiente mundo, diabolo, & tot hostibus alijs, inter quos tamen à Deo mirabiliter tegitur & seruatur: dum semper aliqua Halcyonia, id est, tranquillitas ipsi conceditur, vt parere fœtus Deo placentes possit, et regnum Dei impleatur. Quare identidem vota facientes petamus, vt in hoc etiam squalore & confusione det Deus studijs nostris Halcyonia seu quietem aliquam, quo grata aliqua facere ipsi suo quisq; loco queamus.

THOMAS APOSTOLVS. XXI Decembris.

I. Persona: Thomas Hebraicum nomen, Græcè διδυμος, Latinè Geminus. Electus est à Christo Apostolus immediatè, Matthæi 10.

II. Acta: Amoris in Christum egregium documentum dedit, cùm in hanc vocem fidei plenam erupit, Iohan. 11. Eamus et nos, quò moriamur cum eo. Ex quo sanè intelligitur, paratum illum fuisse ad subeundam mortem cum Domino suo, et alios etiam ad similem animi magnitudinem cohortatum esse. Lapsus et incredulitatis magna exemplum in eo edidit, quòd tanta pertinacia negauit Christum resurrexisse à morte, Iohan. 20. Ex quo etiam incredulus Thomas nominatur. Contrà verò confessoris ardentis & ingenui exemplum præbuit, cùm conuictus rerum testimonijs, exclamauit: Dominus meus & Deus meus. Postquam Christus ascendit in cœlum, Thomas in Parthiam abijt, ibiq; Euangelium conciona-tus est. Inde ad Medos, Persas, Hyrcanos, Bactros

Bactros & Indos doctrinam de Christo propagauit.

Exitus è vita: Cùm curriculum vitæ à Deo assignatum confecisset, hostibus Euangelij præda factus, lancea transuerberatus est, corpusq́ eius tandem, anno Christi 230. concessu Alexandri Imperatoris, in vrbem Mesopotamiæ Edessam translatum est.

NATALIS CHRISTI.

I. Nomen: Appellationes complures sunt, quibus hoc sacrosanctum natiuitatis Christi festum enunciatur. Nazianzenus vocat θεοφάνια, *id est, Dei apparitionem. Item* γενέθλια τοῦ σωτῆρος, *id est, natales Seruatoris. Item* σωτήριον χριστοῦ, *id est, solennitatem Christi. Basilius* γέννησιν ἁγίαν, *id est, natiuitatem sanctam Christi, Latini natalem Christi, Germani* Weihenacht / *veteri consuetudine Germanorum & Gallorum, qui temporis spatia, non dierum, sed noctium appellatione, efferũt. Dicitur autem* Weihenacht / ἀπὸ τοῦ μυεῖσθαι,

id

id est, ab initiando seu consecrando, quòd illa nocte per sacrosanctam Christi natiuitatem omnes initiati simus sacris Christi, Deoq; in æternum consecrati. Hæc Etymologia Christianæ nostræ professioni maximè est conueniens. Veteres Germani in Idolomania Ethnica vocarunt Weinachten/ *à vino, quòd alius alium bono vino id temporis donarit.*

II. Tempus: Natus est Christus octauo Calendas Ianuarij, id est, vicesimo quinto Decembris, nocte brumali, anno mundi ter milleſimo, nongenteſimo, ſeptuageſimo. Quo quidem tempore pax erat in vniuerſo terrarum orbe, & tertium clauſerat Iani templum Auguſtus, nec Dominus appellari amplius ab vllo voluit, vt naſcenti vero Domino pacis & omnium bonorum, quamuis ignarus, cederet, et dignitatem omnem tribueret. Actus aut tunc fuit cenſus vniuerſalis, qui vocatur deſcriptio prima, Lucæ 2.

In Syria & Iudæa cenſum hunc egit Quirinus, vel Cyrenius, qui eò miſſus erat à Cæſa-

à Cesare, vt ius diceret, iustitiamq; administraret populo, teste Iosepho, lib. 15. cap. 1. τῆς ἀρχαιολογίας. *Porrò congruit tempus hoc præcisè cum vaticinio Iacobi de aduentu Messiæ, translato iam sceptro ad Imperatorem Romanum. Erat enim census ille indicium atq; argumentum illustre imperij siue dominationis Romanorum in Iudæos Abrahami posteros.*

III. Locus: Natus est Christus in vrbe Bethlehem, milliari vno & dimidio germanico ab vrbe Ierosolyma distante. Nomen Bethlehem significat domum panis, Brothauß / *quòd frugifero & fœcundo loco sita fuerit: vnde granarium Ierosolymæ dici potest. Vocatur ciuitas Dauidis, quòd pater eius Isai vel Iesse ibi sedem & fundos suos habuerit. Eò profectus est milliaribus germanicis octodecim Iosephus cum Maria ex oppido Nazareth, tanquam ad vrbem patriæ sedis Dauidis, ex cuius posteritate reliquus erat: quò impleretur Prophetia Micheæ: Et tu Bethlehem, &c.*

IIII. Modus: *Christus* ἀμέτρως *est, id est*

est, caret matre, secundum diuinam naturam, & ἀπάτως, id est, carens patre, secundum humanam naturam. Natus est enim ex Maria virgine de familia Dauidis, absq; virili semine, præter & supra communem naturæ ordinem, virtute scilicet altissimi, & potentia Spiritus sancti. 2. Nascitur hic Rex regum, & Dominus dominantium in paupertate & egestate, matre inope & despecta in mundo: Ponitur in præsepi inter iumenta & pecudes, sine accursu & frequentia hominum: dum interim in diuersorio illo alij in conclauibus bene instructis & adornatis lautè tractantur.

V. Præcones natiuitatis Christi: Contiscentibus hominibus, ecce cælestis militia, angelorum chorus fit præco natiuitatis Christi, alloquens pastores in agro, excubantes noctu. Post angelos fiunt eiusdem nuntij etiam Pastores, excitati voce angelica. Tùm accesserunt etiam miracula quædam extra Ecclesiam, tanquam præcones atque testes tantæ natiuitatis. Nam Romæ templum pa-

cis

cis corruit, ne scilicet alibi pax quæreretur, quàm apud hunc natum Messiam, qui princeps pacis ab Esaia nominatur: Orosius. Itē, Romæ trans Tyberim olei scaturigo quædam è terra prorupit, & totum diem largissimo riuo manauit, Eutropius. Eodem die vinea Engaddi ciuis Romani, quæ Balsamum ferebat, flores, fructum & liquorem simul protulit. Chronicon Martini. Tres soles in oriente conspecti sunt, qui tamen paulatim in vnum corpus coierunt, Hermannus. Augustus, nescio qua animi diuinatione permotus, indignè tulit, se Dominum in ludo appellari à Mimo, ideoq́; edicto cauit, ne à quoquam siue domestico, siue alio, Dominus deinceps appellaretur.

VI. Caussæ. *Impulsiua est φιλανθρωπία Dei. 2. πανωλεθρία, id est, vniuersalis interitus generis humani. Hæc enim mouit Deum, vt filium suum hominem fieri passus sit.*

Finis: Primùm, vt nostra carne assumta nos perpetuo fœdere sibi copularet, factus frater ὁμοούσιος nobis. 2. Vt in carne

pati

pati & mori pro nobis posset. 3. Vt carnem siue naturam nostram humanam redemtam & sanctificatam, secum in aternam consuetudinem Dei traduceret.

VII. Vsus: Natus est nobis omnibus scilicet & singulis. Est enim omnium & singillatim cuiusq; nostrûm Seruator.

VIII. Δωροφορία χριστοῦ, Donatio sancti *Christi: Solent Christianorum pueri puellaq; in vigilia, præsertim natalis Christi, magno desiderio expectare munera Christi, quem alibi cum curru onusto per tegulas & fenestras clausas ingredi tanquam per tonitru: alibi cum angelorum comitatu solenniter singulas domos obire opinantur: vbi si probos & precum Christianarum gnaros inuenit liberos, dona illis distribuit varia: crepundia, cistellas, vestes, ciconias, oues, equos, vehicula, poma, pyra, nuces, melicerides, & id genus ludicra alia. Idq; eò pertinet, vt aduentum Christi auidius desiderent, atq; expetant liberi. Tum vt se ad respondendum aduenienti Christo totis animis parent. Additur inter munera*

Christi

Christi plerunq; etiam virga, vt metu castigationis faciliùs se regi, flectiq; patiantur liberi, & bonis semper aliquid mali misceri discant.

II. Interuallum, quod est à natali Christi vsq; ad diem Lunæ, post Dominicam Sexagesimæ, vocatur Creophagia, propter vsum carnium.

FESTVM STEPHANI.

I. Nomen: Stephanus latinè corona est. Conueniunt rebus nomina sæpè suis. Sic Stephanus tandem Martyr factus coronam immarcessibilem adeptus est. Vnde Gregorius Nyssenus oratione de S. Stephano inquit: Teneris floribus, vel rore quodam leui circumfusus in dulcem ac beatum somnum delatus est.

II. Officium: Fuit Diaconus Ecclesiæ Ierosolymitanæ, cuius officium erat, bona communia curare, eaq; rectè distribuere. Delectus est ad hoc munus ab Ecclesia, & manuum impositione precationeq; Apostolorum confirmatus.

III. Dona et virtutes: Fuit plenus Spiritu sancto et sapientia, integer in moribus, et fidus in officij munere, constans in confessione, patiens et alacris in cruce et morte.

IIII. Certamina: Refutauit magno zelo, animóque inuicto erroneas opiniones de Messia, affirmans Iesum Nazarenum verum esse Messiam à Prophetis prædictum. Idq; probauit argumentis è media scriptura excerptis in concione bene longa, Actor. 7.

V. Exitus vitæ: Protractus ad conciliam, accusatus est blasphemiæ, subornatis testibus, vbi ob constantem Christi confessionem, quem apertis cœlis, ad dextram Dei stantem viderat, damnatus et lapidibus obrutus in vera inuocatione Filij Dei obdormiuit, anno Christi 35.

FESTVM IOHANNIS EVANGELISTÆ.

1. Nomen: Iohannes Hebraicè Iohannan, id

id est, gratiosus Holdreich. Scribitur dupliciter: H littera quidem scriptum hoc nomen, Hebraicam retinet originem. Sine H verò græcorum more scribitur, qui omissa aspiratione in medio dictionis scribunt Ἰωάννης, Marci 3. Iacobus & Ioannes appellantur Βοανεργὲς, id est, filij tonitrui, Donnerkinder/ quod est, Doctores tonantes & fulgurantes.

II. Persona: Filius fuit Zebedæi & Salomes, et frater Iacobi maioris, ex piscatore factus Apostolus et Euangelista per vocationem Christi, Matth. 4.

III. Dona: Ornatus fuit præ cæteris Apostolis notitia Dei, fide, confessione, et sanctitate morum. Iccirco inprimis carus fuit Christo, et in sinu eius recubuit. Est enim discipulus ille, quem Christus amauit. Sic describitur Iohannes per periphrasin, Iohan. 13. Tùm ad spectanda Christi miracula adhibitus est.

IIII. Acta. 1. Spectator fuit passionis, actionis sive transformationis Christi in Tha-

bor, monte Galilææ, miræ altitudinis. Quod spectaculum longè omnem mundi splendorem superat.

2. *Missus est à Iesu ad præparandum locum, ad vescendum agno paschali aptum.*

3. *Vidit luctam Christi in horto.*

4. *Imbecillitatis & lapsus exemplum edidit, cùm capto Christo fugit cum cæteris Apostolis, relicta syndone, qua erat amictus, Marc. 14.*

5. *Sed pietatis & amoris documentum dedit, cùm secutus Christum, reuersus est in atrium Pontificis, & stetit sub cruce Domini, cum Maria, quæ ipsi commendata est à Christo.*

6. *Primus agnouit Christum resuscitatum in littore stantem, Iohan. 21.*

7. *Post ascensionem Christi commoratus est aliquandiu Ierosolymis, Postea ab Apostolis missus est cum Petro in Samariam, [illegible] uersus Ierosolymam post mortem Mariæ, matris Domini, profectus est Ephesum, 136 milliaribus germanicis, vbi*

Euange-

Euangelium docuit, Ecclesiam gubernauit, & conciones, actaq; Christi literis commendauit. Anno Christi 96. edicto Caesaris Domitiani in Patmum Insulam maris Aegæi relegatus est, vbi Apocalypsin scripsit. Anno Christi 98. occiso Domitiano, ablatisq; eius aduersus Christianos edictis, Ephesum ad curam & inspectionem Ecclesiæ rediit, & vrbem ingressus, Drusianam, admodum piam matronam, cuius funus efferebatur, in vitam reuocauit.

V. Certamina: acre illi certamen fuit cum Cerintho et Ebione, qui Christum coæternum & coëssentialem patri negarunt. Hos statim in exordio Euangelij sui refutauit, diuinam τοῦ λόγου naturam euidentissimè demonstrans. Polycarpus narrare solitus fuit, Iohannem Ephesi balneum ingressum, mox iterum, viso intus Cerintho, exiliysse illotum, quòd timuerit, ne balneum concideret propter Cerinthum, veritatis inimicum, autore Irenæo.

VI. Exitus è vita: Mortuus est Ephesi,

anno Christi centesimo, anno ætatis suæ octogesimo nono.

VII. Haustus S. Iohannis inde ortus videtur, quòd veteres Germani initio Ianuarij vinum honorarium distribuerunt, vt recordarentur Iani, hoc est, Noami Patriarchæ, vitium satoris, & amoris benevolentiaq; mutua documenta darent.

DIES INNOCENTVM.

I. Nomen: Hoc festum appellatur dies sanctorum Innocentum, videlicet infantiam masculorum, quos Herodes ad vnum omnes bimulos & minoris ætatis, quotquot erant in vrbe & finibus Bethlehem circumquaq;, crudelitate & immanitate inaudita detestandaq; partim in cunis vagientes, partim à matrum vberibus atq; mambus auulsos, ante ora & oculos parentum trucidandos curauit.

II. Tempus. Facta est hæc laniena statim post abitum Magorum, et fugam Christi in Ægyptum.

III. Causſa. Causſæ, quæ mouerunt Herodem, vt tam crudele facinus in sese admitte-

mitteret: 1. Fama & nuncium Magorum de nato rege Iudæorum. 2. Prædictio Phariſæorum de mutatione regni Herodis. Hæc enim pepererant & auxerant metum Herodi, ne regno vix pacato excideret. Iccirco cùm locum Meſſiæ nati, ex Magis cognoſcere non poſſet, promiſcua cæde in omnes infantes ſæuijt, inter quos & ipſius filius fuit: putans fieri non poſſe, quin inter iſtos etiam occideretur Ieſus.

IIII. Euentus: Ieſus cum parentibus fugit in AEgyptum, in vrbem Hermopolim milliaribus ſeptuaginta quatuor, ibiq; manſit vſque ad mortem Herodis. Herodes verò paulò pòſt horrendis cruciatibus vexatus, cum fœtore intolerando, fremitu & indignatione horrenda ſub vmbras fugit Hierichunti. Ioſephus Antiquitatum lib. 17. cap. 8. Auguſtus Cæſar offenſus iſta Herodis immanitate, dixit: Melius eſt Herodis porcum eſſe, quàm filium. Porcos enim Iudæi non comedebant.

V. Doctrina. Docet odium, inſectationem, crucem, exilium, egeſtatem,

anno Christi centesimo, anno ætatis suæ octogesimo nono.

VII. Haustus S. Iohannis inde ortus videtur, quòd veteres Germani initio Ianuarij vinum honorarium distribuerunt, vt recordarentur Iani, hoc est, Noami Patriarchæ, vitium satoris, & amoris beneuolentiaq; mutua documenta darent.

DIES INNOCENTVM.

I. Nomen: Hoc festum appellatur dies sanctorum Innocentum, videlicet infantiam masculorum, quos Herodes ad vnum omnes bimulos & minoris ætatis, quotquot erant in vrbe & finibus Bethlehem circumquaq;, crudelitate & immanitate inaudita detestandaq; partim in cunis vagientes, partim à matrum vberibus atq; manibus auulsos, ante ora & oculos parentum trucidandos curauit.

II. Tempus. Facta est hæc laniena statim post abitum Magorum, et fugam Christi in Ægyptum.

III. Caussa. Caussæ, quæ mouerunt Herodem, vt tam crudele facinus in sese admitte-

mitteret: 1. Fama & nuncium Magorum de nato rege Iudæorum. 2. Prædictio Phariſæorum de mutatione regni Herodis. Hæc enim pepererant & auxerant metum Herodi, ne regno vix pacato excideret. Iccirco cùm locum Meſſiæ nati, ex Magis cognoſcere non poſſet, promiſcua cæde in omnes infantes ſæuijt, inter quos & ipſius filius fuit: putans fieri non poſſe, quin inter iſtos etiam occideretur Ieſus.

IIII. Euentus: Ieſus cum parentibus fugit in AEgyptum, in vrbem Hermopolim milliaribus ſeptuaginta quatuor, ibiq; manſit vſque ad mortem Herodis. Herodes verò paulò pòſt horrendis cruciatibus vexatus, cum fœtore intolerando, fremitu & indignatione horrenda ſub vmbras fugit Hierichunti. Ioſephus Antiquitatum lib. 17. cap. 8. Auguſtus Cæſar offenſus iſta Herodis immanitate, dixit: Melius eſt Herodis porcum eſſe, quàm filium. Porcos enim Iudæi non comedebant.

V. Doctrina. Docet odium, inſectationem, crucem, exilium, egeſtatem,

THOMAS APOSTOLVS, XXI Decembris.

I. Persona: Thomas Hebraicum nomen, Græcè Διδυμος, Latinè Geminus. Electus est à Christo Apostolus immediatè, Matthæi 10.

II. Acta: Amoris in Christum egregium documentum dedit, cùm in hanc vocem fidei plenam erupit, Iohan. 11. Eamus et nos, quò moriamur cum eo. Ex quo sanè intelligitur, paratum illum fuisse ad subeundam mortem cum Domino suo, et alios etiam ad similem animi magnitudinem cohortatum esse. Lapsus et incredulitatis magna exemplum in eo edidit, quòd tanta pertinacia negauit Christum resurrexisse à morte, Iohan. 20. Ex quo etiam incredulus Thomas nominatur. Contrà verò confessoris ardentis & ingenui exemplum præbuit, cùm conuictus rerum testimonijs, exclamauit: Dominus meus & Deus meus. Postquam Christus ascendit in cœlum, Thomas in Parthiam abijt, ibiq; Euangelium conciona-tus est. Inde ad Medos, Persas, Hyrcanos, Bactros

Bactros & Indos doctrinam de Christo propagauit.

Exitus è vita: Cùm curriculum vitæ à Deo assignatum confecisset, hostibus Euangelij præda factus, lancea transuerberatus est, corpusq; eius tandem, anno Christi 230. concessu Alexandri Imperatoris, in vrbem Mesopotamiæ Edessam translatum est.

NATALIS CHRISTI.

I. Nomen: Appellationes complures sunt, quibus hoc sacrosanctum natiuitatis Christi festum enunciatur. Nazianzenus vocat θεοφάνια, *id est, Dei apparitionem. Item* γενέθλια τοῦ σωτῆρος, *id est, natales Seruatoris. Item* πανήγυριν χριστοῦ, *id est, solennitatem Christi. Basilius* γέννησιν ἁγίαν, *id est, natiuitatem sanctam Christi, Latini natalem Christi, Germani* Weihenacht / *veteri consuetudine Germanorum & Gallorum, qui temporis spatia, non dierum, sed noctium appellatione, efferũt. Dicitur autem* Weihenacht / ἀπὸ τοῦ μυεῖσθαι, *id*

id est, ab initiando seu consecrando, quòd illa nocte per sacrosanctam Christi natiuitatem omnes initiati simus sacris Christi, Deoq; in æternum consecrati. Hæc Etymologia Christianæ nostræ professioni maximè est conueniens. Veteres Germani in Idolomania Ethnica vocarunt Weinachten/ *à vino, quòd alius alium bono vino id temporis donarit.*

II. *Tempus: Natus est Christus octauo Calendas Ianuarij, id est, vicesimo quinto Decembris, nocte brumali, anno mundi ter millesimo, nongentesimo, septuagesimo. Quo quidem tempore pax erat in vniuerso terrarum orbe, & tertium clauserat Iani templum Augustus, nec Dominus appellari amplius ab vllo voluit, vt nascenti vero Domino pacis & omnium bonorum, quamuis ignarus, cederet, et dignitatem omnem tribueret. Actus aut tunc fuit census vniuersalis. qui vocatur descriptio prima, Lucæ 2.*

In Syria & Iudæa censum hunc egit Quirinus, vel Cyrenius, qui eò missus erat à Cæsa-

à Cæsare, vt ius diceret, iustitiamq; administraret populo, teste Iosepho, lib. 15. cap. 1. τῆς ἀρχαιολογίας. Porrò congruit tempus hoc præcisè cum vaticinio Iacobi de aduentu Messiæ, translato iam sceptro ad Imperatorem Romanum. Erat enim census ille indicium atq; argumentum illustre imperij siue dominationis Romanorum in Iudæos Abrahami posteros.

III. Locus: Natus est Christus in vrbe Bethlehem, milliari vno & dimidio germanico ab vrbe Ierosolyma distante. Nomen Bethlehem significat domum panis, Brodhauß / quòd frugifero & fœcundo loco sita fuerit: vnde granarium Ierosolymæ dici potest. Vocatur ciuitas Dauidis, quòd pater eius Isai vel Iesse ibi sedem & fundos suos habuerit. Eò profectus est milliaribus germanicis octodecim Iosephus cum Maria ex oppido Nazareth, tanquam ad vrbem patriæ sedis Dauidis, ex cuius posteritate reliquus erat: quò impleretur Prophetia Micheæ: Et tu Bethlehem, &c.

IIII. Modus: Christus ἀμίκτως est, id est

est, caret matre, secundum diuinam naturam, & ἀπάτως, id est, carens patre, secundum humanam naturam. Natus est enim ex Maria virgine de familia Dauidis, absq; virili semine, præter & supra communem naturæ ordinem, virtute scilicet altissimi, & potentia Spiritus sancti. 2. Nascitur hic Rex regum, & Dominus dominantium in paupertate & egestate, matre inope & despecta in mundo: Ponitur in præsepi inter iumenta & pecudes, sine accursu & frequentia hominum: dum interim in diuersorio illo alij in conclauibus bene instructis & adornatis lautè tractantur.

V. Præcones natiuitatis Christi: Contiscentibus hominibus, ecce cælestis militia, angelorum chorus fit præco natiuitatis Christi, alloquens pastores in agro, excubantes noctu. Post angelos fiunt eiusdem nuntij etiam Pastores, excitati voce angelica. Tùm accesserunt etiam miracula quædam extra Ecclesiam, tanquam præcones atque testes tantæ natiuitatis. Nam Roma templum pacis

ris corruit, ne scilicet alibi pax quæreretur, quàm apud hunc natum Messiam, qui princeps pacis ab Esaia nominatur: Orosius. Item, Romæ trans Tyberim olei scaturigo quædam è terra prorupit, & totum diem largissimo riuo manauit, Eutropius. Eodem die vinea Engaddi ciuis Romani, quæ Balsamum ferebat, flores, fructum & liquorem simul protulit. Chronicon Martini. Tres soles in oriente conspecti sunt, qui tamen paulatim in vnum corpus coierunt, Hermannus. Augustus, nescio qua animi diuinatione permotus, indignè tulit, se Dominum in ludo appellari à Mimo, ideoq; edicto cauit, ne à quoquam siue domestico, siue alio, Dominus deinceps appellaretur.

VI. Causſæ: Impulsiua est φιλανθρωπία Dei. 2. παναλεθρία, id est, vniuersalis interitus generis humani. Hæc enim mouit Deum, vt filium suum hominem fieri passus sit.

Finis: Primùm, vt nostra carne assumpta nos perpetuo fœdere sibi copularet, fa-ctus frater ὁμοούσιος nobis. 2. Vt in carne

pati

pati & mori pro nobis posset. 3. Vt carnem siue naturam nostram humanam redemtam & sanctificatam, secum in aternam consuetudinem Dei traduceret.

VII. Vsus: Natus est nobis omnibus scilicet & singulis. Est enim omnium & singillatim cuiusq; nostrûm Seruator.

VIII. Δωροφορία Χριστοῦ, Donatio sancti *Christi: Solent Christianorum pueri puellæq; in vigilia, præsertim natalis Christi, magno desiderio expectare munera Christi, quem alibi cum curru onusto per tegulas & fenestras clausas ingredi tanquam per tonitru: alibi cum angelorum comitatu solenniter singulas domos obire opinantur: vbi si probos & precum Christianarum gnaros inuenit liberos, dona illis distribuit varia: crepundia, cistellas, vestes, ciconias, oues, equos, vehicula, poma, pyra, nuces, melicerides, & id genus ludicra alia. Idq; eò pertinet, vt aduentum Christi auidius desiderent, atq; expetant liberi. Tum vt se ad respondendum aduenienti Christo totis animis parent. Additur inter munera*

Christi

Christi plerunq; etiam virga, vt metu castigationis faciliùs se regi, flectiq; patiantur liberi, & bonis semper aliquid mali miſceri diſcant.

II. Interuallum, quod est à natali Christi vſq; ad diem Lunæ, post Dominicam Sexageſimæ, vocatur Creophagia, propter vſum carnium.

FESTVM STEPHANI.

I. Nomen: Stephanus latinè corona est. Conueniunt rebus nomina sæpè suis. Sic Stephanus tandem Martyr factus coronam immarceſsibilem adeptus est. Vnde Gregorius Nyſſenus oratione de S. Stephano inquit: Teneris floribus, vel rore quodam leui circumfuſus in dulcem ac beatum ſomnum delatus est.

II. Officium: Fuit Diaconus Eccleſiæ Ieroſolymitanæ, cuius officium erat, bona communia curare, eaq; rectè diſtribuere. Delectus est ad hoc munus ab Eccleſia, & manuum impoſitione precationeq; Apoſtolorum confirmatus.

III. Dona et virtutes: Fuit plenus Spiritu sancto et sapientia, integer in moribus, et fidus in officij munere, constans in confessione, patiens et alacris in cruce et morte.

IIII. Certamina: Refutauit magno zelo, animoque inuicto erroneas opiniones de Messia, affirmans Iesum Nazarenum verum esse Messiam à Prophetis praedictum. Id probauit argumentis e media scriptura excerptis in concione bene longa, Actor. 7.

V. Exitus vitae: Protractus ad concilium, occulatus est blasphemiae, subornatis testibus, vbi ob constantem Christi confessionem, quem apertis coelis, ad dextram Dei stantem viderat, damnatus et lapidibus obrutus in vera inuocatione Filij Dei obcormiuit, anno Christi 35.

FESTVM IOHANNIS EVANGELISTÆ.

I. Nomen: Iohannes Hebraicè Iohannes, id

id est, gratiosus Holdreich. Scribitur dupliciter: H litera quidem scriptum hoc nomen, Hebraicam retinet originem. Sine H verò gracorum more scribitur, qui omissâ aspiratione in medio dictionis scribunt Ιωάννης, Marci 3. Iacobus & Ioannes appellantur Βοανεργὲς, id est, filij tonitrui, Donnerkinder/ quod est, Doctores tonantes & fulgurantes.

II. Persona: Filius fuit Zebedæi & Salomes, et frater Iacobi maioris, ex piscatore factus Apostolus et Euangelista per vocationem Christi, Matth. 4.

III. Dona: Ornatus fuit præ cæteris Apostolis notitia Dei, fide, confessione, et sanctitate morum. Iccirco inprimis carus fuit Christo, et in sinu eius recubuit. Est enim discipulus ille, quem Christus amauit. Sic describitur Iohannes per periphrasin, Iohan. 13. Tùm ad spectanda Christi miracula adhibitus est.

IIII. Acta. 1. Spectator fuit [illegible] actionis siue transformationis Christi in Tha-

III. *Dona et virtutes: Fuit plenus Spiritu sancto et sapientia, integer in moribus, et fidus in officij munere, constans in confessione, patiens et alacris in cruce et morte.*

IIII. *Certamina: Refutauit magno zelo, animóque inuicto erroneas opiniones de Messia, affirmans Iesum Nazarenum verum esse Messiam à Prophetis prædictum. Idq; probauit argumentis è media scriptura excerptis in concione bene longa, Actor. 7.*

V. *Exitus vitæ: Protractus ad concilium, accusatus est blasphemiæ, subornatis testibus, vbi ob constantem Christi confessionem, quem apertis cœlis, ad dextram Dei stantem viderat, damnatus et lapidibus obrutus in vera inuocatione Filij Dei obdormiuit, anno Christi 35.*

FESTVM IOHANNIS EVANGELISTÆ.

I. *Nomen: Iohannes Hebraicè Iohannan, id*

id est, gratiosus Holdreich. Scribitur dupliciter: H litera quidem scriptum hoc nomen, Hebraicam retinet originem. Sine H verò græcorum more scribitur, qui omissa aspiratione in medio dictionis scribunt Ιωάννης, Marci 3. Iacobus & Ioannes appellantur Βοανεργὲς, id est, filij tonitrui, Donnerkinder/ quod est, Doctores tonantes & fulgurantes.

II. Persona: Filius fuit Zebedæi & Salomes, et frater Iacobi maioris, ex piscatore factus Apostolus et Euangelista per vocationem Christi, Matth. 4.

III. Dona: Ornatus fuit præ cæteris Apostolis notitia Dei, fide, confessione, et sanctitate morum. Iccirco inprimis carus fuit Christo, et in sinu eius recubuit. Est enim discipulus ille, quem Christus amauit. Sic describitur Iohannes per periphrasin, Iohan. 13. Tùm ad spectanda Christi miracula adhibitus est.

IIII. Acta. 1, Spectator fuit [illegible] actionis sive transformationis Christi in Thabor,

bor, monte Galilææ, miræ altitudinis. Quod spectaculum longè omnem mundi splendorem superat.

2. Missus est à Iesu ad præparandum locum, ad vescendum agno paschali aptum.

3. Vidit lucrtam Christi in horto.

4. Imbecillitatis & lapsus exemplum edidit, cùm capto Christo fugit cum cæteris Apostolis, relicta syndone, qua erat amictus, Marc. 14.

5. Sed pietatis & amoris documentum dedit, cùm secutus Christum, reuersus est in atrium Pontificis, & stetit sub cruce Domini, cum Maria, quæ ipsi commendata est à Christo.

6. Primus agnouit Christum resuscitatum in littore stantem, Iohan. 21.

7. Post ascensionem Christi commoratus est aliquandiu Ierosolymis, Postea ab Apostolis missus est cum Petro in Samariam, reuersus Ierosolymam post mortem Mariæ, matris Domini, profectus est Ephesum, 136 milliaribus germanicis, vbi

Euange-

Euangelium docuit, Ecclesiam gubernauit, & conciones, actaq; Christi literis commendauit. Anno Christi 96. edicto Cæsaris Domitiani in Patmum Insulam maris Aegæi relegatus est, vbi Apocalypsin scripsit. Anno Christi 98. occiso Domitiano, abolitisq; eius aduersus Christianos edictis, Ephesum ad curam & inspectionem Ecclesiæ rediit, & vrbem ingressus, Drusianam, admodum piam matronam, cuius funus efferebatur, in vitam reuocauit.

V. Certamina: acre illi certamen fuit cum Cerintho et Ebione, qui Christum cœternum & coëssentialem patri negarunt. Hos statim in exordio Euangelij sui refutauit, diuinam τοῦ λόγου naturam euidentissimè demonstrans. Polycarpus narrare solitus fuit, Iohannem Ephesi balneum ingressum, mox iterum, viso intus Cerintho, exiliysse illotum, quòd timuerit, ne balneum concideret propter Cerinthum, veritatis inimicum, autore Irenæo.

VI. Exitus è vita: Mortuus est Ephesi,

acto Dei cultu in templo, conuictu liberali & hilari in Encæniis uti consueuimus.

IIII. Finis: Encæniorum finis est, ut memoria celebretur dedicati & defensi templi ac verorum Dei cultuum, cum gratiarum actione pro tanto beneficio conseruatæ Ecclesiæ & verbi mirabiliter, inter tot pericula, mutationes & calamitates. 2. Vt petamus ardentibus votis, ut in posterum quoque talem se nobis præbeat Deus, qualem iam antea præstitit. 3. Vt testemur, nos vero desiderio teneri futurorum Encæniorum in æterna vita, ad eaq; nos pœnitentia & fide præparemus.

DE BRVMA.

I. Nomen: Bruma est breuissima anni dies, βραχὺ ἦμαρ, *horas septem cum minutis triginta in hoc nostro climate complectens. Fit Sole ingrediente Capricornum: Vnde & Solstitium hybernum appellatur. Item* τροπὴ, *id est, conuersio. Numerant enim græci quatuor* τροπὰς

seu

seu conuersiones in quolibet Anno: duo Solstitia, hybernum & æstiuum: & duo æquinoctia, vernum & autumnale. Cicero: Solis accessus, discessusq; fit brumis atq; Solstitijs. Dicitur autem solstitium quasi Solis statio. Nam circa solstitia tam tardè procedit Sol, vt non facilè eius declinatio intra octiduum animaduerti possit. Conuersio verò nominatur, quòd se Sol vel à Septentrione conuertat ad Austrum, quod fit in Solstitio æstiuo: vel ab austro ad Septentrionem, quod fit in Solstitio hyberno. Est autem bruma imago breuitatis vitæ, & diuturnitatis afflictionum atq; ærumnarum. Dies enim vitæ, nox verò crucis typus est.

11. Locus Solis: Sol in bruma 41624. milliaribus germanicis propior est terræ, nempe in Perigeo orbis Eccentrici, quàm in solstitio æstiuo. Vnde etiam corpus eius apparet maius quàm in apogeo, siue solstitio æstiuo. Demittit enim sese hoc tempore, & radios ex obliquo spargit. Et hæc ipsa radio-

rum obliqua sparsio caussa est, vt languidius etiam calefaciat terram. Non aliter Christus verus iustitiæ Sol, secundum Malachiam, tametsi in rebus duris & asperis, opinione nostra, abesse interuallo longissimo videtur: tamen proxime adest, sicut Psalmus 91 affirmat: Cum ipso sum in tribulatione. Caussa est, quia præsentiã suam dissimulat, & opem sæpe differt stans post parietem nostrum, prospiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, vt in Cantico Canticorum, cap. 2 scribitur.

III. Qualitas aëris: Frigus est asperum, gelu & niue rigent omnia, totaq; naturæ facies in luctu & squalore esse videtur. Ad eundem modum crux Christianorum est horrenda & squalida, vt quicquid aspicis, id tetrum & horrendum appareat.

IIII. Conuersio Solis admonet nos de Conuersione Dei ad peccatores agentes pœnitentiam: et vicissim de conuersione nostra ad ipsum, de qua Propheta Ieremias ait,

cap.

cap. 31. Conuerte me, & conuertar. Item: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.

V. Halcyonides vocantur dies quatuordecim, quorum septem antecedunt, septem verò consequuntur Brumam. Per eos mare, alioquin turbulentum, placidum & nauigabile est. Nomen verò habent ab aue, quæ halcyon, Eißvogel/ appellatur, quasi ἐν ἁλὶ κύουσα, in mari pariens seu fœtificans hisce diebus. Est autem Halcyon imago Ecclesiæ nidificantis siue militantis in medijs fluctibus, procellis & tempestatibus, sæuiente mundo, diabolo, & tot hostibus alijs, inter quos tamen à Deo mirabiliter tegitur & seruatur: dum semper aliqua Halcyonia, id est, tranquillitas ipsi conceditur, vt parere fœtus Deo placentes possit, et regnum Dei impleatur. Quare identidem vota facientes petamus, vt in hoc etiam squalore & confusione det Deus studijs nostris Halcyonia seu quietem aliquam, quo grata aliqua facere ipsi suo quisq; loco queamus.

THOMAS APOSTOLVS, XXI Decembris.

I. *Persona: Thomas Hebraicum nomen, Græcè Διδυμος, Latinè Geminus. Electus est à Christo Apostolus immediatè, Matthæi 10.*

II. *Acta: Amoris in Christum egregium documentum dedit, cùm in hanc vocem fidei plenam erupit, Iohan. 11. Eamus et nos, quò moriamur cum eo. Ex quo sanè intelligitur, paratum illum fuisse ad subeundam mortem cum Domino suo, et alios etiam ad similem animi magnitudinem cohortatum esse. Lapsus et incredulitatis magna exemplum in eo edidit, quòd tanta pertinacia negauit Christum resurrexisse à morte, Iohan. 20. Ex quo etiam incredulus Thomas nominatur. Contrà verò confessoris ardentis & ingenui exemplum præbuit, cùm conuictus rerum testimonijs, exclamauit: Dominus meus & Deus meus. Postquam Christus ascendit in cœlum, Thomas in Parthiam abijt, ibiq; Euangelium concionatus est. Inde ad Medos, Persas, Hyrcanos, Bactros*

Digitized by Google

Bactros & Indos doctrinam de Christo propagauit.

Exitus è vita: Cùm curriculum vitæ à Deo assignatum confecisset, hostibus Euangelij præda factus, lancea transuerberatus est, corpusq; eius tandem, anno Christi 230. concessu Alexandri Imperatoris, in vrbem Mesopotamiæ Edessam translatum est.

NATALIS CHRISTI.

I. Nomen: Appellationes complures sunt, quibus hoc sacrosanctum natiuitatis Christi festum enunciatur. Nazianzenus vocat θεοφάνια, *id est, Dei apparitionem. Item* γενέθλια τοῦ σωτῆρος, *id est, natales Seruatoris. Item* πανήγυριν χριστοῦ, *id est, solennitatem Christi. Basilius* γέννησιν ἁγίαν, *id est, natiuitatem sanctam Christi, Latini natalem Christi, Germani* Weihenacht / *veteri consuetudine Germanorum & Gallorum, qui temporis spatia, non dierum, sed noctium appellatione, efferũt. Dicitur autem* Weihenacht / ἀπὸ τοῦ μυεῖσθαι,

id

id est, ab initiando seu consecrando, quòd illa nocte per sacrosanctam Christi natiuitatem omnes initiati simus sacris Christi, Deoq; in æternum consecrati. Hæc Etymologia Christianæ nostræ professioni maximè est conueniens. Veteres Germani in Idolomania Ethnica vocarunt Weinachten/ *à vino, quòd alius alium bono vino id temporis donarit.*

II. *Tempus: Natus est Christus octauo Calendas Ianuarij, id est, vicesimo quinto Decembris, nocte brumali, anno mundi ter milleſimo, nongenteſimo, ſeptuageſimo. Quo quidem tempore pax erat in vniuerſo terrarum orbe, & tertium clauſerat Iani templum Auguſtus, nec Dominus appellari amplius ab vllo voluit, vt naſcenti vero Domino pacis & omnium bonorum, quamuis ignarus, cederet, et dignitatem omnem tribueret. Actus aut tunc fuit cenſus vniuerſalis, qui vocatur deſcriptio prima, Lucæ 2.*

In Syria & Iudæa cenſum hunc egit Quirinus, vel Cyrenius, qui eò miſſus erat à Cæſa-

à Cæsare, vt ius diceret, iustitiamq; administraret populo, teste Iosepho, lib. 15. cap. 1. τῆς ἀρχαιολογίας. *Porrò congruit tempus hoc præcisè cum vaticinio Iacobi de aduentu Messiæ, translato iam sceptro ad Imperatorem Romanum. Erat enim census ille indicium atq; argumentum illustre imperij siue dominationis Romanorum in Iudæos Abrahami posteros.*

III. Locus: Natus est Christus in vrbe Bethlehem, milliari vno & dimidio germanico ab vrbe Ierosolyma distante. Nomen Bethlehem significat domum panis, Brothauß / *quòd frugifero & fœcundo loco sita fuerit: vnde granarium Ierosolymæ dici potest. Vocatur ciuitas Dauidis, quòd pater eius Isai vel Iesse ibi sedem & fundos suos habuerit. Eò profectus est milliaribus germanicis octodecim Iosephus cum Maria ex oppido Nazareth, tanquam ad vrbem patriæ sedis Dauidis, ex cuius posteritate reliquus erat: quò impleretur Prophetia Micheæ: Et tu Bethlehem, &c.*

IIII. Modus: Christus ἀμέτως *est, id est*

est, caret matre, secundum diuinam naturam, & ἀπάτως, id est, carens patre, secundum humanam naturam. Natus est enim ex Maria virgine de familia Dauidis, absq; virili semine, præter & supra communem naturæ ordinem, virtute scilicet altissimi, & potentia Spiritus sancti. 2. Nascitur hic Rex regum, & Dominus dominantium in paupertate & egestate, matre inope & despecta in mundo: Ponitur in præsepi inter iumenta & pecudes, sine accursu & frequentia hominum: dum interim in diuersorio illo alij in conclauibus bene instructis & adornatis lautè tractantur.

V. Præcones natiuitatis Christi: Contiscentibus hominibus, ecce cælestis militia, angelorum chorus fit præco natiuitatis Christi, alloquens pastores in agro, excubantes noctu. Post angelos fiunt eiusdem nuntij etiam Pastores, excitati voce angelica. Tùm accesserunt etiam miracula quædam extra Ecclesiam, tanquam præcones atque testes tantæ natiuitatis. Nam Romæ templum pa-

cis

cis corruit, ne scilicet alibi pax quæreretur, quàm apud hunc natum Messiam, qui princeps pacis ab Esaia nominatur: Orosius. Item, Roma trans Tyberim olei scaturigo quædam è terra prorupit, & totum diem largissimo riuo manauit, Eutropius. Eodem die vinea Engaddi ciuis Romani, quæ Balsamum ferebat, flores, fructum & liquorem simul protulit. Chronicon Martini. Tres soles in oriente conspecti sunt, qui tamen paulatim in vnum corpus coierunt, Hermannus. Augustus, nescio qua animi diuinatione permotus, indignè tulit, se Dominum in ludo appellari à Mimo, ideoq; edicto cauit, ne à quoquam siue domestico, siue alio, Dominus deinceps appellaretur.

VI. Caussæ: Impulsiua est φιλανθρωπία Dei. 2. πανωλεθρία, id est, vniuersalis interitus generis humani. Hæc enim mouit Deum, vt filium suum hominem fieri passus sit.

Finis: Primùm, vt nostra carne assumpta nos perpetuo fœdere sibi copularet, factus frater ὁμοούσιος nobis. 2. Vt in carne pati

pati & mori pro nobis posset, 3. Vt carnem siue naturam nostram humanam redemtam & sanctificatam, secum in æternam consuetudinem Dei traduceret.

VII. Vsus: Natus est nobis omnibus scilicet & singulis. Est enim omnium & singillatim cuiusq; nostrûm Seruator.

VIII. Δωροφορία Χριστοῦ, Donatio sancti *Christi: Solent Christianorum pueri puellæq; in vigilia, præsertim natalis Christi, magno desiderio expectare munera Christi, quem alibi cum curru onusto per tegulas & fenestras clausas ingredi tanquam per tonitru: alibi cum angelorum comitatu solenniter singulas domos obire opinantur: vbi si probos & precum Christianarum gnaros inuenit liberos, dona illis distribuit varia: crepundia, cistellas, vestes, ciconias, oues, equos, vehicula, poma, pyra, nuces, melicerides, & id genus ludicra alia. Idq; eò pertinet, vt aduentum Christi auidius desiderent, atq; expetant liberi. Tum vt se ad respondendum aduenienti Christo totis animis parent. Additur inter munera*

Christi

Christi plerunq; etiam virga, vt metu castigationis faciliùs se regi, flectiq; patiantur liberi, & bonis semper aliquid mali misceri discant.

II. *Interuallum, quod est à natali Christi vsq; ad diem Lunæ, post Dominicam Sexagesimæ, vocatur Creophagia, propter vsum carnium.*

FESTVM STEPHANI.

I. *Nomen: Stephanus latinè corona est. Conueniunt rebus nomina sæpè suis. Sic Stephanus tandem Martyr factus coronam immarcessibilem adeptus est. Vnde Gregorius Nyssenus oratione de S. Stephano inquit: Teneris floribus, vel rore quodam leui circumfusus in dulcem ac beatum somnum delatus est.*

II. *Officium: Fuit Diaconus Ecclesiæ Ierosolymitanæ, cuius officium erat, bona communia curare, eaq; rectè distribuere. Delectus est ad hoc munus ab Ecclesia, & manuum impositione precationeq; Apostolorum confirmatus.*

III. Dona et virtutes: *Fuit plenus Spiritu sancto et sapientia, integer in moribus, et fidus in officij munere, constans in confessione, patiens et alacris in cruce et morte.*

IIII. Certamina: *Refutauit magno zelo, animóque inuicto erroneas opiniones de Messia, affirmans Iesum Nazarenum verum esse Messiam à Prophetis praedictum. Idq; probauit argumentis è media scriptura excerptis in concione bene longa, Actor. 7.*

V. Exitus vitæ: *Protractus ad concilium, accusatus est blasphemiæ, subornatis testibus, vbi ob constantem Christi confessionem, quem apertis cœlis, ad dextram Dei stantem viderat, damnatus et lapidibus obrutus in vera inuocatione Filij Dei obdormiuit, anno Christi 35.*

FESTVM IOHANNIS EVANGELISTÆ.

I. Nomen: *Iohannes Hebraicè Iohannan, id*

id est, gratiosus Holdreich. Scribitur duplicitèr: H littera quidem scriptum hoc nomen, Hebraicam retinet originem. Sine H verò Græcorum more scribitur, qui omissa aspiratione in medio dictionis scribunt Ιωάννης, Marci 3. Iacobus & Ioannes appellantur Βοανεργὲς, id est, filij tonitrui, Donnerkinder/ quod est, Doctores tonantes & fulgurantes.

II. Persona: Filius fuit Zebedæi & Salomes, et frater Iacobi maioris, ex piscatore factus Apostolus et Euangelista per vocationem Christi, Matth. 4.

III. Dona: Ornatus fuit præ cæteris Apostolis notitia Dei, fide, confessione, et sanctitate morum. Iccirco inprimis carus fuit Christo, et in sinu eius recubuit. Est enim discipulus ille, quem Christus amauit. Sic describitur Iohannes per periphrasin, Iohan. 13. Tùm ad spectanda Christi miracula adhibitus est.

IIII. Acta. 1. Spectator fuit passionis, actionis sive transformationis Christi in Tha-

bor, monte Galilææ, miræ altitudinis. Quod spectaculum longè omnem mundi splendorem superat.

2. Missus est à Iesu ad præparandum locum, ad vescendum agno paschali aptum.

3. Vidit luctam Christi in horto.

4. Imbecillitatis & lapsus exemplum edidit, cùm capto Christo fugit cum cæteris Apostolis, relicta syndone, qua erat amictus, Marc. 14.

5. Sed pietatis & amoris documentum dedit, cùm secutus Christum, reuersus est in atrium Pontificis, & stetit sub cruce Domini, cum Maria, quæ ipsi commendata est à Christo.

6. Primus agnouit Christum resuscitatum in littore stantem, Iohan. 21.

7. Post ascensionem Christi commoratus est aliquandiu Ierosolymis, Postea ab Apostolis missus est cum Petro in Samariam, [illegible]uersus Ierosolymam post mortem Mariæ, matris Domini, profectus est Ephesum, 136 milliaribus germanicis, vbi

Euange-

Euangelium docuit, Ecclesiam gubernauit, & conciones, actaq; Christi literis commendauit. Anno Christi 96. edicto Cæsaris Domitiani in Patmum Insulam maris Aegæi relegatus est, vbi Apocalypsin scripsit. Anno Christi 98. occiso Domitiano, ablatisq; eius aduersus Christianos edictis, Ephesum ad curam & inspectionem Ecclesiæ rediit, & vrbem ingressus, Drusianam, admodum piam matronam, cuius funus efferebatur, in vitam reuocauit.

V. Certamina: acre illi certamen fuit cum Cerintho et Ebione, qui Christum cœternum & coëssentialem patri negarunt. Hos statim in exordio Euangelij sui refutauit, diuinam τ῀ λόγ῀ naturam euidentissimè demonstrans. Polycarpus narrare solitus fuit, Iohannem Ephesi balneum ingressum, mox iterum, viso intus Cerintho, exiliysse illotum, quòd timuerit, ne balneum concideret propter Cerinthum, veritatis inimicum, autore Irenæo.

VI. Exitus è vita: Mortuus est Ephesi,

anno Christi centesimo, anno ætatis suæ octogesimo nono.

VII. Haustus S. Iohannis inde ortus videtur, quòd veteres Germani initio Ianuarij vinum honorarium distribuerunt, vt recordarentur Iani, hoc est, Noami Patriarchæ, vitium satoris, & amoris benevolentiæq; mutua documenta darent.

DIES INNOCENTVM.

I. Nomen: Hoc festum appellatur dies sanctorum Innocentum, videlicet infantiam masculorum, quos Herodes ad vnum omnes bimulos & minoris ætatis, quotquot erant in vrbe & finibus Bethlehem circumquaq;, crudelitate & immanitate inaudita detestandaq; partim in cunis vagientes, partim à matrum vberibus atq; manibus auulsos, ante ora & oculos parentum trucidandos curauit.

II. Tempus. Facta est hac laniena statim post abitum Magorum, et fugam Christi in Ægyptum.

III. Caussa. Caussæ, quæ mouerunt Herodem, vt tam crudele facinus in sese admitte-

mitteret: 1. Fama & nuncium Magorum de nato rege Iudæorum. 2. Prædictio Pharisæorum de mutatione regni Herodis. Hæc enim pepererant & auxerant metum Herodi, ne regno vix pacato excideret. Iccirco cùm locum Messiæ nati, ex Magis cognoscere non posset, promiscua cæde in omnes infantes sæuijt, inter quos & ipsius filius fuit: putans fieri non posse, quin inter istos etiam occideretur Iesus.

IIII. Euentus: Iesus cum parentibus fugit in AEgyptum, in vrbem Hermopolim milliaribus septuaginta quatuor, ibiq; mansit vsque ad mortem Herodis. Herodes verò paulò pòst horrendis cruciatibus vexatus, cum fœtore intolerando, fremitu & indignatione horrenda sub vmbras fugit Hierichunti. Iosephus Antiquitatum lib. 17. cap. 8. Augustus Cæsar offensus ista Herodis immanitate, dixit: Melius est Herodis porcum esse, quàm filium. Porcos enim Iudæi non comedebant.

V. Doctrina. Docet odium, insectationem, crucem, exilium, egestatem,

ſtatim cum nato Chriſto incipere, omniaq́ eius membra attingere. Ad quæ paratos nos animos habere decet, qui Chriſti membra eſſe volumus, in hanc cruentam Eccleſiæ imaginem intuentes: Cuius quidem imaginis vt meminiſſe pueri diſcant, virgis cædi ſolent à parentibus hoc die, quò acerbiſſimi doloris ac luctus parentum atq́ infantium Bethlehemiticorum memoria retineatur. 2. Patitur quidem Eccleſia partim merito ſuo, partim innocentia, vt hi infantes trucidati: ſed mirabiliter tamen à Deo eripitur & ſeruatur, quamuis in membra aliqua ſæuiatur. 3. Tyranni & hoſtes Chriſtianorum horribilibus tandem pœnis afficiuntur, vt ſcriptum eſt, Sap. 6. Potentes potenter tormenta patientur.

Ethnica feſta Decemb.

FAVNALIA, V Decembris.

Faunalia à Fauno dicta, cui hœdo & vino ſacra fiebant paſſim in ſyluis & pratis. In hoc feſto etiam agreſtes vicatim ſaltare conſueuerunt.

Satur-

Saturnalia, XVII Decembris.

I. *Saturnalia Saturni feriæ fuerunt, qui præses agrorum creditus est, ex quo falx tanquam insigne illi tributa est. Is fugiens aliquando suum Iouem, ex AEgypto in Italiam venit, ibiq; bonis moribus & æquis legibus rudem populum informauit, aliaq; necessaria ad vsum cultumq; ciuilis vitæ docuit. Ex quo Deus haberi cœpit, & humanis hostijs olim placatus est.*

Origo vocabuli absq; dubio hebræa est, nata ex Sadai, quod est omnipotens, seu sufficiens, & omnibus necessaria ad vitæ sustentationem suppeditans. Dictus enim est Saturnus, quod omnia exaturet & alat. Vnde Saturnium regnum nominarunt, quo omnium rerum vbertas & copia, quasi virgula diuina suppeditata, extitit.

II. *Ritus: Saturnalibus crebra conuiuia agitabantur, munera mutua mittebantur, quæ Saturnalitia appellabantur. Tum cerei accendebantur, quibus Saturnus colebatur, & amici, præsertim ditiores, etiam donabantur: seruis item conuiuia à Domi-*

nis apparabantur, quibus liberaliter & opipare tractabantur: nec pudebat dominos ministrare seruis, vt scribit Macrobius.

III. Cauſſa: Conuiuia agitabantur, quia Saturnus habitus est praeses culturae agrorum. Iccirco omnis fertilitas atque vbertas siue copia fructuum atque frugum illi accepta referebatur, gratiaeq; his ferys agebantur.

2. Lumina accendebantur, vt significaretur, ductu atq; beneficio huius Dei, lucem esse reparatam, hoc est, humanitatem & vitam cultum introductum.

3. Seruis ministrabatur à Dominis, vt pro annuo labore gratia aliqua illis referretur.

IIII. Tempus: Ante Iulium Caesarem vno die duntaxat celebrata fuerunt Saturnalia, quae & Opalia fuerunt dicta. Sed cùm Caesar annum correxit, duos dies his feriis adiecit: vt duo priores dies Saturnalia nominarentur, hoc est, soli Saturno sacri essent: Tertius verò Saturno pariter & Opi tribueretur, vt ait Macrobius.

OPA-

OPALIA, XIX Decemb.

Opalia, ab Ope dicta, dies festi fuerunt, quibus Opi supplicatum est. Fuit autem Ops, Graecè ῥέα, coniūx Saturni, terræ Dea, hoc est, mater alma, cuius ope homines pecudesq; aluntur. Etsi autem gentilis hæc superstitio fuit: tamen ex ea parte probanda est pietas Saturno & Opi præstita, quatenus ad colendum verum Deum, satorem, parentem, et altorem vnicum refertur. Fuit cæcitas, fuit furor horrendus in idolomania ethnica: & tamen credo multos in hac tetra caligine non creaturis, sed creatorì vni laudem omnipotentiæ & beneficentiæ omnis tribuisse: reliqua verò numina commentitia, tanquam creaturas diuina virtute, potentia & dignitate præditas, veneratos esse.

Angeronalia, XI Decemb.

Angeronalia seu Diua Angerona dicta feria fuerunt, quibus Angeronæ, siue Angeroniæ sacrificatū est. Nomen autem Angeronæ ab Angina deductū est: quia eius ope ab

Angina

Angina liberari omne genus animalium crediderunt. Vel ab angore, quòd angores & animi ſolicitudines depulerit.

Laralia vel Larentinalia, XXIII. Decemb.

Laralia, à Laribus dicta, feſtum Larium fuerunt. Larentinalia verò ab Acca Larentia, Fauſtuli vxore, nominata ſunt, Iccirco quia ſacerdotes illi hoc feſto publicè parentarunt, Autore Varrone lib. 5. de Ling. Lat.

Septimontia.

A ſeptem montibus hoc feſtum nomen habet, in quibus ſacra fieri conſueuerunt, vt habet Sextus Pompeius. Vel à ſeptimo colle vrbi Romæ adiecto, vt Plutarchus ſcribit.

FINIS.

EPIGRAMMATA
IN ἑορτολογίαν CLARISSIMI VIRI, DN. MATTHÆI DRESSERI, VTRIusque linguæ & historiarum in Academia Lipsensi Professoris publici & primarij, præceptoris sui opt.

Πρὸς δόξαν κῦδός τε θεοῦ συνάπαντα γενέσθω,
ὧδε πόνος χ' ἡμῖν χρήσιμος ἔσται ἅπας.
ἀλλὰ κανὼν ἀξεκὴς ἔργων γραφή ἐστι θεοῖο,
μίσγεται οὔσγε ἄνευ ἔργα κάκισα καλοῖς.
τοῦτο ματαιότατος μονάχων δείκνυσιν ὅμιλος,
οἵγε γοοπλανέες δ' ἦτορ ἔχουσι κακόν.
αὐτοὶ γὰρ φιλέορτοι ἑορτῶν ἤματα τιμῇ
ἄρτασαν ἀνθρώπων πλείονα, παῦρα θεῷ,
πολλά τε γράψαντες τὰ ἐναντία ῥήματι θείῳ,
ὡς ἐν ἀλημοσύνῃ εἰσέπεσαν σκοτίῃ.
εἷς ὁ θεὸς πέλει, εἷς πέλει ἡμείων τε μεσίτης,
τῶν εὐχῶν σκόπος ὤν, τῶν ἱερῶν τε τέλος.
τοῦτον φρασσάμενοι καλᾶς μὲν ἄγουσιν ἑορτὰς:
ἄλλους ζητοῦντες ἱρὰ ἄγουσι κακῶς.
τὴν ὀρθὴν πάροδον βίβλῳ ἡμῖν τῇ ἀνοίγει
Δρέσσηρος λογίων φαίδιμον ἄστρον ἐών.
ὃς μεθόδῳ ἀγαθῇ καὶ ἡδέϊ καλλιεπείᾳ
ἱστορίης ἁγίων ἔργα μιμητὰ γράφει.
φῶς καὶ ἀπὸ σκοτέων, ψευδῶν ἀπ' ἐτήτυμ' ἀφαιρεῖ.
τοῦ εἶναι χρῆσιν τῶν ἱερῶν ἱερήν.
τῷ γε πόνος ταύτης βίβλου μάλα χρήσιμος εἴη,
ὄφρα ὀφειλομένη δόξα νέμοιτο θεῷ.

EPI-

AD decus, ad laudēq; Dei simul omnia fiant:
Sic labor & nobis utilis omnis erit.
Sed scriptura Dei est operum certissima norma,
Qua sine miscentur pessima facta bonis.
Hoc monachorum testatur vanissima turba,
Qui luctū simulant, cordaq; praua gerunt.
Hi quia festorum studiosi, festa in honorem
Sanxerunt hominum plurima, pauca Deo.
Multaq; scribentes sancto contraria verbo,
Errorum in tenebras sic cecidere vagas.
EST vnus DEVS, est noster Mediator & vnus,
Festorum finis metaq; vera precum.
Quicunq; hanc reputant, peragunt bene festa sacrata:
Qui quærunt alios, non bene festa colunt.
Rectum aditum nobis aperit præsente libello
Dresserus docti fulgida stella chori.
Qui pulcra methodo, perjucundoq; lepore
Sanctorum historiæ facta imitanda notat,
Et vera à falsis, lucem à tenebrisq; reuellit,
Vsus festorum possit vt esse sacer.
Hac ratione libri fiat labor vtilis huius,
Vt reddatur honos debitus ille Deo.

M. Melchior Gerlachius Silesius.

INDEX

A

Aduentus, & Dominicæ ejus. 259
Ægidius. 194
Æstas. 139
Æstiui solstitii allegoria. 141
Afra. 181
Afranum cœnobium Mysenæ. ibid.
Agnes. 22
Agonalia, vel Agonia. 81
Allienſis dies. 177
Ambroſius. 82
Andreas. 255
Angelorum feſtum. 203
Angeronalia. 823
Annunciatio Mariæ. 65
Animarum feſtum. 226
Anna. 175
Anna perenna. 59
Anni initia ſecundum diuerſas gentes. 10
Anni initium apud Chriſtianos. 12
Anni partes Germanis veteribus tres: Moſi (duæ: 56
Antoniani eremitæ 19
Antonianus porcellus. 20
Antonius
Apollinares ludi. 175
Apoſtolorum diuiſio ſeu migratio. 168
Aprilis. 81
Argeorum feſtum. 128

Armilu-

Armilustrium. 221
Ascensio Christi. 213
Assumtio Mariæ. 184
Athanasius. 209
Augustalia. 220
Augustinus. 190
Augustus Cæsar, nato Christo, dominus appellari noluit. 308. *Eius dictum de Herode.* 319
Augustus (mensis) 178
Autumnus. 202

B.

Bacchanalia, aliàs Liberalia. 59
Balthasar. 18
Barbara. 260
Bartolemæus. 187
Basilius. 35
Beda. 131
Bellona. 158
Bernardinus 128
Bernhardus, à quo Bernardini vel Bernarditæ. 185
Bethania quid? 113
Blandina. 21
Bonifacius. 141
Bruma. 302
Bruma initium anni. 10
Brumalia. 259
Brumus quis. ibid.

Digitized by Google

Burchardi memoria anseris esu in Germania recolitur. 214
Burchardus 212

C

Calendæ 7
Calendæ Fabariæ 131
Calendarium 8
Caniculares dies 162
Caprotinæ Nonæ 176
Carmentalia 18
Carmenta mater Euandri. ibid.
Caroli M. festa. 5
Carolostadius iconomachiam suscipit. 243
Caspar. 28
Catharina 55. 251
Cathedra Petri 43
Cerealia 85
Charistia 42
Christina 171
Christophorus ibid.
Cineralia 63
Circumcisio Christi 8
Compitalia 7
Concordia 41
Consualia 193
Census quis ibid.
Conuersio Pauli 24.

Digitized by Google

Coronati quatuor. 233
Corpora trium Regum aliò translata. 18
Corporis Christi festum. 132
Crucifixionis Christi causſæ. 74
Cyprianus. 203
Cyriacus. 182
Cyri edictum de instauratione templi Ierosolymitani. 47

D.

December. 260
Decem millia martyrum. 244
Deus. 123
Dies critici { Kiliani. 166 / Medardi. 143 / Pauli. 31
Dies trium Regum. 14
Dionysius Areopagita. 211
Dionysius (Bacchus.) 59
Diualia. 324
Diuinitatis personarum discrimen. 125
Dominicæ in quadrageſima vnde nomen habeant. 63
Dominica in albis, vel quasimodogeniti. 83
[illegible] Lætare. 63
Donatus. 180
Donatus Grammaticus præceptor Hieronymi. 181
Dorothea. 39

Digitized by Google

E.

ἐλαφηβολιῶν 31
Elisabetha. 249
Encænia. 300
ἑορτὴ vnde. 1
ἐπιφάνια vel ἐπιφάνεια. 13
Epulum indictum. 259
Equiria. 45
Erasmus Roterodamus. 134
Erasmus Sarcerius. 136
Eremitarum Antonianorum victus. 19
ἔτους origo hebræa. 1
Eteſiæ. 163
Exaltatio crucis. 295
Expiationis feſtum. 212

F.

Fabianus. 22
Faunalia. 320
Fauſtina vxor Maximini Cæſaris ad Chriſtum à Catharina conuertitur. 253
Februa, Februare, Februarius, 52
Februario dies vnus ademtus. 33
Ferdinandi de Melanchthone dictum. 101
Feriæ conceptiuæ: imperatiuæ: nundinarum: ſtatæ ſiue ſtatiuæ. 2
Feſta Caroli Magni. 5

Digitized by Google

Festa Christianorum. 4

Festa ethnica mense
- Iunio 158
- Iulio, 175
- Augusto 191
- Octobri 219
- Nouembri 258
- Decembri. 320

Festa immobilia. mobilia. 4
Festa supplicationum, vel votorum 3
Festi corporis Christi vsus 133
Festi dies integri. 4. Intercisi. 5
Festi palmarum significatio & vsus. 69
Festorum caussæ 6. Fines. 7
Festum offerendi manipulos spicarum. 69
Festum purificationis, aliàs obuiatio. 33
Festum vnde dicatur. 1
Festus dies. 1
Fidius. 158
Floralia. 93
Fontanalia. 221
Fordicidia. 84
Fornacalia. 41
Franciscus.
Fridericus. 248
Frisingensis Episcopatus fundator. 143
Fuldensis cœnobij fundator. ibid.

Digitized by Google

Georgij vita. 85
Græcorum festa mense Iunio. 131
Gratulatio noui anni. 12
Gregorius. 52

H.

Hebdomadis παθητικῆς historia. 71
Helena mater Constantini crucem Christi inuenit. 110
Heraclius Cæsar crucem Christi recuperatam solenniter Ierosolymam reduxit. 195
Herbipolensis episcopatus fundator. 142
Herodis mors. 319
Hieronymus. 209
Hilaria. 64
Hyemis Græca & Hebræa appellatio. 297
Hyemis tempus, temperamentum. 297. 298.
eius effectus. 299

I.

Iacob. 172
Iacobus maior. ibid.
Iacobus minor. 173
Ianuarius. 8
Ianus. 11
Ieiunij verus vsus. 49
Ieiunium quadragesimale. 48
Ieiunium quid. 48

Digitized by Google

Iesus nomen emphaticum. 5
Ignis purgatorius. 227
Innocentum dies. 118
Inuentio crucis. 110.
Inuocationis sanctorum refutatio. 223
Ioachimus. 264
Ioachimus Camerarius. *ibid.*
Ioannes ante portam. 127
Ioannes Baptista Elias dictus. 149
Ioannes quid significet. 314
Ioannis Baptistæ caput Constantinopolin translatum. 150
Ioannis Baptistæ festum. 144
Ioannis Baptistæ parentes, educatio. 145
Victus, vitæ genus. 147
Doctrina 148
Acta 149
Mors 150
Ioannis decollatio. 191
Ioannis Euangelistæ virtutes, acta, certamina, mors. 315. 316.
S. Iohannis haustus. *ibid.*
Iuliana. 40
Iulius (mensis) 160
Iunius. 131

K.

Kiliani dies criticus. 166
Kilianus quis. 165

Digitized by Google

Laralia 324
L.
Larentalia. ibid.
Lares præstites 108
Laurentius. 182
Laurentius Decio Ecclesiæ thesauros eripere volenti non obsequitur. 183
Lazarus. 299
Lectisternia 259
Lemures quid 127
Lemuria. ibid.
Leonardus. 232
Liber, Liberalia 59
Litaniæ institutæ causſa impulsiue. 112
Lotio pedum. 73
Lucas 215
Lucia. 266
Ludi Apollinares. 175
Ludouicus. 189
Ludouicus Pius Imperator à Friderico Episcopo admonitus, mores correxit. 249
Lupercalia. 39
M.
Magorum festum 13
Magiæ nomen hebræum. 14
Magia Platoni quid. ibid.
Magi qui. 15
Magi quot diebus confecerint iter 16
Magister à Magis. 14

Digitized by Google

Magi vnde venerint ad Christum. 15
Magorum acta, munera 16. nomina. 17. officium. 15
Maius. 93
Manipulos spicarum offerendi festum. 69
Marcion. 32
Marcus Euangelista. 90
Margareta. 166
Maria
- annunciatio 65
- assumtio. 184
- conceptio. 263
- genealogia. 195
- natiuitas. 194
- Pater. ibid.
- præsentatio. 251

Maria Magdalena. 169
Martha. 20
Martinalia. 237
Martinianus anser. ibid.
Martinus. 234
Martinus Lutherus. 237
Martius. 50
Martyrum
- decem millia. 144
- sedecim millia. 219
- septendecim millia. 21

Matralia. 158
Matronalia. 51
Matthæus. 197

Digitized by Google

Matthæus cur à telonio ad apostolatum vocatus 198
Matthæus græcè scripsit. 201. *secundum quosdam hebraicè.* 200
Matthæus in Æthiopia occisus ab Hirtaco. 201
Matthias 45
Matuta, aliàs Ino 158
Mauritius 202
Medardus. 143
Meditrinalia. 220
Megalesia. 84.
Melchior. 18
Mel sylvestre quid. 146
Mens Deæ loco habita. 158
Mensis vnde. 8
Mercatorum festum. 118
Messiæ regnum. 67
Messias Deus & homo. *ibid.*
Μετοίκια. 159
Michael hebræa dictio. 203
Mortuis detrahere diabolicum. 225
Mortuorum memoriam recolentes quas voces vsurpare debeant. *ibid.*
Munera Christi natalitia. 312
Musa quid & vnde. 14.
Mysteria duplicia. 192
Mysteria magna. 192
Mysteria parua. *ibid.*

Digitized by Google

N.

Natalis Christi. 307
Nicolaus. 261
Nicolaus patronus puerorum, puellarumq; & nautarum. 262
Nomina Christianorum emphatica. 9
Novæ Caprotinæ. 174
Nouember. 221
Nundinæ. 1

O.

Oblatio manipulorum spicarum. 69
October. 210
Odilo festi omnium animarum autor. 227
Omnium animarum festum. 226
Omnium sanctorum. 221
Opalia. 323
Oschophoria. 219

P.

Palilia. 85
Palladis festum in Catharinæ festum mutatum. 54
Palmarum festum. 69. 217
Parasceue dies. 73
Pascha. 74
Paschatis Iudæorum & Christianorum collatio. 76
Patefactio Christi in monte Thabor. 180

Digitized by Google

Paulus primùm Saulus vocatus. 24
Pentecoſte. 117
Petri Pauli feſtum. 151
Petri patria, acta. 152
Petrus non tenuit primatum Romæ. 44
Philippi Iacobi feſtum. 94
Philippus Melanchthon. 98
Pithagia. 89
Poloni. 68
Polycarpus. 31
Porphyrius dux à Catharina ad Chriſtum conuertitur. 253
Portunalia. 191
Portunus quis. ibid.
Præſentationis Mariæ feſtum. 251
Præſtes. 109
Profeſti dies ſeu operoſi. 4
Purgatorij commentum vnde deſumtum. 229
Purificationis Mariæ feſtum. 33

Q

Quadrageſima. 48
Quaſimodogeniti Dominica. 83
Quatuor coronati. 233
Quintilis. 160
Quinquatria. 74
Quirinalia. 41

R

Regalia. 14

Digitized by Google

Regifugium. 42
Reſurrectio Chriſti. 77
Robigalia. 93
Rogationes & autor earum. 112

S.

Saba. 16
Sabbatum magnum. 74
Saliorum feſtum. 51
Sanctorum inuocationis refutatio. 223
Sanctorum nomina cur in Calendario recenſeantur. 5
Saturnalia. 321
Saulus. 24
Sebaſtianus. 22
September. 193
Septem dormientes. 151
Septimontium dies. 324
Septuageſima. 46
Seruorum & ſeruarum feſtum. 191
Signorum Zodiaci cum partibus anni congruentia. 298
Simeon Meſſiam agnoſcit 35
Simeon Styllites. 194
Simon [redacted] 217
Simon & Iudas Apoſtoli in crucem acti ſub Traiano. 219
Σκηνοπηγία 214

Solis

Solis locus in bruma. 303
Σωτηρία Christianorum. 73
Ethnicorum. 258
Spiritus Sanctus. 120
Stephanus. 313
Strenæ quid, vnde. 13
Stultorum festum. 41
Summanus. 159
Supplicationes. 3. earum autor 112
Susa. 15

T:

Tabernaculorum festum. 214
Tarsus vrbs nobilis. 25
Tempestatis festum. 158
Terminalia. 42
Theodorus. 223
Theophilus 232
Thomæ acta, lapsus, mors. 306. 307
Timotheus. 23
Trinitatis festum. 122
Tubarum festum. 210
Tubæ lustrium. 64.

V.

Verbenalia. 72
Ver. 55

Digitized by Google

Veris	commoda.	57
	imago.	58
	natura.	56
	vsus.	57
Vesta.		158
Vinalia.		85
Vincula Petri.		178
Vindemiæ etymologia.		230
Vini allegoria.		231
Vini munera Germanis veteribus vsitata		11
Visitationis Mariæ festum.		160
Vitus.		144
Veterum festa varia.		2
Vrbanus (Episcopus)		129
Vrbanus (martyr.)		130
Vrsula.		217
VValpurgis.		97
Vulcanalia.		193

X.

ξενοίκια.	159

Z.

Zacharias pater Ioannis Baptistæ.	145
Zacharias occiditur inter templum & altare.	14[illegible]

Digitized by Google

VVITEBERGÆ
Typis M. Simonis Gronenbergij.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google